M. TULLII CICERONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

EDIDERUNT

J. G. BAITER C. L. KAYSER.

VOL. XI.

EDITIO STEREOTYPA.

EX OFFICINA BERNHARDI TAUCHNITZ.
LIPSIAE MDCCCLXIX.

M. TULLII CICERONIS

ORATIONUM FRAGMENTA
ET
ORATIONES SUPPOSITICIAE.

EDIDIT

C. L. KAYSER.

M. TULLII CICERONIS

CETERORUM LIBRORUM FRAGMENTA.
INDEX NOMINUM.
INDEX LIBRORUM TULLIANORUM.

COMPOSUIT

J. G. BAITER.

EDITIO STEREOTYPA.

EX OFFICINA BERNHARDI TAUCHNITZ.

LIPSIAE MDCCCLXIX.

PRAEFATIO.

Quamquam longe maiores partes in adornando hoc undecimo volumine Baiteri sunt, viri amicissimi, quam meae, tamen ei causa defuit, cur prooemium scriberet, mihi contra complura de brevi mea opera monenda esse videntur, cui ex divisione instituta tractanda fuerint Tullianarum orationum et rhetoricorum librorum fragmenta in fine editionis nostrae. Iam orationum reliquias satis multas superesse constat, non ita eorum operum, quibus ille suam artem docuit, quae scilicet omnia aetatem tulerunt; propterea dubitavi eis dictis Ciceronis quae Quintilianus X, 6, 4; 7, 13; 7, 27; XI, 1, 92; XII, 10, 56. (cf. p. 138 sq.) citat, praescribere indicem 'e libris rhetoricis': potuerunt enim in orationibus, in libris philosophicis, in epistolis commode collocari; in rhetoricis olim lecta fuisse, sed librariorum neglegentia aut aliquo casu excidisse multo minus credibile est; itaque tutius duxi conferri in συλλογὴν fragmentorum ex incertis operibus servatorum p. 136 sqq.

Ea, quae orationum deperditarum aut certe magnis lacunis deformatarum colligere licuit frustula, non leve augmentum ceperunt ex libello Iosephi Kleinii (cf. p. 1.), cui thesaurum Oehleri diu clausum tandem aperire contigit; neque sine aliquo spicilegio vv. cl. Halm et Eckstein rhetores Latinos perscrutati sunt. In emendandis his eloquentiae Ciceronianae particulis libenter praedico valde profuisse mihi inventa et antiquiorum criticorum Manutii, Hotomanni, Sigonii, Patricii, Crenii, deinde I. F. Gronovii, cuius marginalia ad Asconium nuper Rinkes edidit Mnemosynae vol. XI, p. 191 sqq. et recentiorum Baiteri, Orellii*, Madvigi, denique Halmii, Rinkesii, Klotzii, quibus auxiliis uso aliquanto expeditiorem lectionem reddere licuit. Malui autem 'Adnotationem criticam' separatim conscribere, quam, ut Baiterus, notas eiusmodi singulis fragmentis subicere, quia et ali-

* Orellianam editionem alteram significavi O, si qua lectione discrepant ab ea priores edd. apud Asconium Baiteri, notantur littera E: earum notationes quaere ibidem.

quanto corruptiora sunt haec orationum disiecta membra et scholiorum quoque ratio habenda erat; praeterea separavi illa ab oratoris verbis diversa numeratione.

Magnopere iuvari se sentient, qui hac editione usuri sunt, Baiteri indice nominum, et ad cognitionem Ciceronianorum temporum et ipsius sermonis Ciceroniani mirifice utili, quae quidem opera minime commendatione mea indiget; tamen non potui quin verbo attingerem summum hoc amici meritum.

Scripsi Heidelbergae XVII. die mensis Ianuarii MDCCCLXIX.

C. L. Kayser.

ADNOTATIO CRITICA.

M. TULLII CICERONIS ORATIONUM FRAGMENTA.

A. III, 1. *quid est.* Klotz. (Jahrbücher für Philologie etc. 95,193.) quidem C. || 3. *in dicendo.* Meiser apud Halm (Jahrb. f. Ph. 93, 626). || 11. *et* incl. || 12. *in re militari usum* Klotz. l. c. in re militari C. || 13. *defendo* Klotz. l. c. defendendo C. *consili* Klein. opti. C. || 14. *bonum ductorem* scr. bonum doctorem C. || 15. *iudices* Halm l. c. iudicium C. || 19. *ut hostes* scr. et hostes C.

IV. verba a Martiano Capella (482, 24. ed. Halm) citata non ex altera in Servilium Rullum oratione esse petita docuit Sauppe in Götting. Gel. Anz. 1864, p. 2023.

V, 9. malis 'effudit'. Servius ad Verg. Aen. VIII, 139. nescio an ex memoria laudans habet 'quae te beluam ex utero, non hominem fudit'. || 11. *video vitae domesticae tenebris* scr. video tenebris C. pars eiusdem fragmenti infra legitur K, 59, p. 143.

B, II, 6. *occidendum — volnerandum — occidendum curavit* I. M. Gesner. occidendo — volnerando — occidendo cadit. vett. E. Quintiliani. || 14. *necesse est esse* scr.

III, 2. *consequentia appellare* scr. consequentia E.

V, 2. 'quod Parmeno' coni. Orelli. || 8. *potuistine* Halm. potuisti C. *Parmeno* incl. *alius quis* scr. alloqui E. ('alioqui' coni. Halm.)

VI. Argumentum Q. Asconii Pediani orationis pro C. Cornelio I. p. 7, vs. 25 sqq.

p. 7, vs. 34. *quod ante annos pauculos* Halm (Sitzungsberichte der K. b. Akademie d. W. 1862. Mai 18.). quod ante annos septem et viginti O. v. 35. *cum senatus decrevisset* Halm l. c. cum senatus ante pauculos annos illo scto decrevisset O. v. 37. *questus est deinde* Rinkes, Mnemosyne XI, 182. questus est de ea re E. qu. est de ea O. v. 38. 'unde in praesentia pecuniam creditoribus darent' Sigonius.

p. 8. v. 5. *tollique ea re* add. Hotoman.—v. 7. *fracti eius fasces sunt* I. Fr. Gronov. Mnemos. XI, 192. fracti e. f. cuncti O. v. 14. *qui vel pauci* Sigonius. qui vel paucos O. v. 26. *mox* incl. v. 28. *in* incl. v. 32. *magna* incl. v. 36. *decrevisset infamiam acceptae pecuniae* I. F. Gronov. l. c. 193. recreavisset ...... iam accepta pecunia O. v. 38. *neminem* add. Rinkes l. c. v. 45. *tribuniciae* incl. v. 46. *Cicero quia* O. ex coni. Hotomani et Manutii. v. 51. 'difficilem Tullius' Rinkes l. c. 183, malim 'aliis' tollere.

p. 9, v. 1. 'apud duasque' Rinkes l. c. 185. *decurias equitum* Madvig. praefecturas equitum O. ib. 'tribunorum aerariorum' Baiter. v. 2. 'gratus erat apud plerosque' et 'qui erant familiares principum' coni. Rinkes l. c.

VI, 1. *proicit* Madvig. proiectos O. || 2. *privatim patri* scr. † privatim patre O. *iterum publice* Sigonius.

publice O. 'lege' Sigonius. fo: 'deiectus est pactione an vi veritatis de sententia'? *an* alterum incl. *suspitionem omnem tollit* Crenius. suspitionem animi tollit O. *C. Curionis* add. Hotoman. || 3. *impulit*? Rinkes l. c. 188. an tulit? O. *nam dedisse* Sigonius. at tulisse O. (Asconius 10, v. 4. *appellatus est* Madvig. appellatus. E.) || 6. fo: 'quod summam laesit'. alterum 'quod summa repuplica' removet Rinkes l. c. 187. *id ab illo* Sigonius. sed ab illo O. (Asc. 10, vs. 24. 'abiecta est, defensa est altera de bello Mithridatico' Halm l. c. 19.) || 7. *reipublicae* add. Patricius. || 9. *abrogatam* add. Manutius. || 10. *redigundis* Orelli ex schol. Bob. p. 131. ed. A. Mai, regundis E. || 11. b. *contra auspicia* ante 'lata' necessario supplendum auctore E. A. I. Ahrens apud Halm l. c. 19. || 11. c. fo: 'tertium est, ut de legibus derogetur'. (Asc. 12, vs. 17. *ius* om. Lugd. incl. E. v. 23. *ea* incl.) || 13. 'dum tabellae diribentur' supplet Crenius ante 'dum sitella defertur'. (Asc. 12, vs. 36. *ut* add. Berald. Lod.) || 14. fo: 'coram ipso intercessore'. idem postulat Rinkes l. c. 189. *cupiditatis* incl. Madvig. (Asc. 13, vs. 10. 'et una mens esset ut modo superat populum iussum conficeret'. ed. princeps. fo: ut una deesset modo, qua superante populi iussum confieret'. similiter Halm l. c. 20. 'ut una deesset, ut numero superante p. i. c.' at Rinkes l. c. 189. 'et una modo supererat, ut p. i. conficeret'. || 15. *deinde* add. Lugd. al. v. 31. *potentiam* add. Lugd. al. 'metum' add. Berald. Lod. 'vim' Halm l. c. vs. 44. '*pater*' add. Ald. Lod. post 'eius'; Lugd. Hotoman. al. post 'adolescentis'.) || 19. *doceretur ambitum* scr. 'doceretur idem' et postea 'extingui ambitum' Halm. l. c. 21. || 20. *duorum designatorum consulum calamitate* incl. O. auctore Madvig. || 21. fo: 'respondeam volgare'. 'respondeto volgare' Orelli. 'quasi ignores volgare'. Mommsen. || 23. *vestros animos* Madvig. vestros † annos O. (Asc. 14, vs. 37. 'domitam esse dicit ante' coni. Halm; in E. verba 'plebem — domitam esse dicit' praecedunt illud 'ante vestros annos'. *ante* omisi.) *ut omnino a restitutione illius potestatis abalienentur* Madvig. ut omnino .... ne illius potestate abalienemus O. || 27. *modo vivo Sulla* scr. 'modo Sulla vivo' Halm l. c. modo cum Sulla O. || 32. 'cum' omissum a Prisciano, ut 38. || 33. quae apud Quintilianum l. c. sequuntur: et protinus cum quadam defensione, ut si pro luxurioso dicendum sit 'obiecta est paulo liberalior vita' Halm l. c. 5 sq. iure separavit a fragmento ex Corneliana ducto; locum invenit suum in fragm. orr. incert. n. 30. || 41. *ab urbe dierum iter afuerunt complurium* Nipperdey. ad urbem dierum fuerit iter complurium Arusianus p. 215. ad u. d. tres fuerunt complurium Fronto ed. Rom. p. 366. || 42. interrogationis signum post 'contentio' excidit. quod enim mihi — contentio? Patricius probante Halmio. || 43. Orelli monet: 'vide, ne istud fragm. potius referendum sit ad orat. Cornel. II. (VIII, 8.)' || 52. *replicate* add. Halm l. c. 11. ex cod. Monacensi quodam Boetii. || 55. cum 58. coniungendum erat. || 58. *causa* incl.

VII, 5. 'credo silente nobilitate' Rinkes l. c. 190. || 7. *probetur* add. Madvig. pro 'Marcus Terpolius' Pighius 'M. Turpilius', Sigonius 'M. Trebellius' proposuit. *electum* Madvig. eiectum esse O.

VIII, 1. 'docti et cogniti' Halm coni. l. c. 27. (Asc. 20, vs. 40. *domum* om. ed. princ. incl. O. 21, vs. 6. *abscisum* Halm l. c. 28. abscissum O.

vs. 15. *se ideo* eiurare scr. se id eiurare O. || 3. fo: 'nec se tamen'. || 6. *constituet* Halm l. c. 28. constitueret O. *tecum furti* I. F. Gronov. l. c. 193, Orelli (coni.) te furti E. *praesidium* I. F. Gronov. l. c. 194. consilium O. (Ascon. 22, vs. 5. vere cum egerit coni. O.) || 10. *laturum me* scr. laturum O. || 12. *id praesente* Orelli coni. (Ascon. 22, vs. 45. 'gladiatores' I. F. Gronov. l. c. 194.) || 13. *augete etiam mercedem*, *si voltis*, *Q. Muci*: *perseveret legem impedire*, *ut coepit sctum* Madvig. augere etiam mercedes si vultis, Q. Mucium † perverti l. i. ut coepit senter. cos. O. || 14. d. *aspicere te* scr. aspicere. (Ascon. 23, vs. 32. *iudicum* add. Orelli.) || 16. 'at illi dixerunt' supplet Halm ante 'quae tibi dicere non licebit' l. c. 29, et coni. *quod illi non dixerint.* || 17. fo: 'qua impudentia es'. || 19. a. *reclamante* Halm l. c. 29. clamante O. || 19. b. *ne quem alium nominem* I. F. Gronov. l. c. 194. neque alio nemine O. (Ascon. 24, vs. 47. *ut a re publica ablegaretur* I. F. Gronov. l. c. 194. ut avus suus ablegaretur O. 'ut ab urbe scilicet ablegaretur' coni. Orelli.) || 21. *quod* add. Halm. l. c. 29.

IX, 1. *fit clamor*, *fit convicium*, *fit symphoniae cantus* Ruhnken. ut clamor, ut convicium, ut s. cantus O. *immunda* servat Quintilianus, om. Aquila, incl. || 3. *Galliana* Baiter. Gallia a qua C. || 5. *eum non verisimile dixisse* adieci, ut in Bruto §. 278. || 8. *ei aversas pecunias obiecit* scr. tres pecunias obiecit C.

XII, 5. *reprehenditur* 'non male suadent' ait Spalding. deprehenditur E. || 10. *et eius modi definitionibus* incl.

XIII. Supplementa §§. 1—4. a Beiero ex Cicerone ad Att. I, 16, 2. petita sunt. || 1, 6. *illo e iudicio* Halm. l. c. 16. cf. Quintil. VI, 3, 81. 'quo ex iudicio velut ex incendio nudus effugit'. || 4, 2. 'ceteris ⟨facile se⟩' supplet Halm ib. et ⟨*ei*⟩ vero, ⟨*qui praedium habeat*⟩: || 4. *ubi habeo* et qu⟨*omodo*⟩ ac *mirer* supplet Beier. || 5, 1. *atque monstrum* Madvig. ado (adq?) monstrum C. Verba 'tu vero — potes' habet Nonius v. eligantes 465, 11; 'tu vero — ornatus' I. Rufinianus 38, 8. ed. Halm. || 5, 4. verba 'sed — sensisti' habet Nonius v. longe 339, 27 et speculum 434, 23. || 6, 2. *XXXI. tibi nihil crediderunt* et *manifesti periuri* add. Beier. || 8. altercationis verba vide apud Ciceronem in eadem ep. §. 10.

XV. (Argumentum scholiastae Bobiensis 31, vs. 30. [nostris] Orelli, 'non' C.). || 2, 7. fo: 'o virum pessimum'! 'o virum servum' Halm l. c. 24. 'o virum summum' Orelli coni. || 3, 2. *de incestis stupris* Halm. ib. de incestus stupris C. || 5, 2. *quae* add. A. Mai.

XVI. Huius orationis fragmenta secundum ordinem ab Orellio institutum hîc reliqui, cum collocanda essent post VII; cf. Memorabilia vitae Ciceronis per annos digesta, vol. I, p. 27.

C. FRAGMENTA EX ORATIONIBUS INCERTIS.

28. 'circa † pacem' corrupta verba non Ciceronis, sed Severiani esse videntur. Orationum fragmenta habere licet etiam, quae collecta sunt in 'K. fragmenta varii argumenti ex libris incertis' 8, 9, 10, 47, 48, 49, 51, 52, 53, 58, 60, 61, 64, 65, atque festinantibus ibi nobis accidit ut 51 et 61, iam lecta C. 24, 27 et 64 ex Metellina (B XII,) 5 repeteremus.

A. FRAGMENTA ORATIONUM MAGNAM PARTEM SUPERSTITUM.

I. ORATIONIS PRO Q. QUINCTIO.

Ulpianus l. 59 ad Edict.: latitare est non, ut Cicero definit, turpis occultatio sui.

II. ORATIONIS PRO TULLIO.

in obscuro genere quid facere debes? ut docilem facias auditorem, quod fecit in Tulliana: de hac re, inquit, iudicabitis. Grillius 604, 23 ed. Halm. (videtur παραφράζειν Gr. quae in or. § 23 fin. leguntur.)

III. ORATIONIS PRO M. FONTEIO.

fragmenta nuper edita in libello: Ueber eine Handschrift des Nicolaus von Cues nebst ungedruckten Fragmenten Ciceronischer Reden von Ioseph Klein. Berlin, Weidmannsche Buchhandlung. 1866, p. 57.

1. illud vero quid est? quam habet in se rationem, quam consuetudinem, quam similitudinem veritatis? quod ratio, quod consuetudo, quod rei natura respuit, id credendumne est?

2. numquid cuiquam iniquissimo disceptatori haec suspitio relinquenda est?

3. quid potest auctoritatis habere testis in dicendo suo testimonio falsa veris miscens?

4. hoc ipso argumento cetera testimonia repudiare debetis.

5. latebra mendacii.

6. Cn. Pompeius eximia virtute et felicitate in Hispania bellum gessit.

7. industria et studio.

8. Cn. Pompei summi imperatoris et fortissimi viri gestum est subsidiis.

9. quid pugnant? quid struunt? quid nituntur?

---

10. versutissimum hominem et in fallendo exercitatissimum.

11. quid est in testimonio vestro praeter libidinem, prae-

ter audaciam, praeter amentiam, cum fortissimi et ornatissimi [et] ipsa victoria sit testis?

12. nec mediocrem in re militari usum, iudices.

13. defendo fortem egregiumque virum, magni animi, summi laboris, optimi consili.

14. multis ab adulescentia in bellis variisque versatum atque in primis bonum ductorem, et hominem, ut vere dicam, corpore, animo studio, consuetudine natum atque aptum ad tempora belli militaremque rationem.

15. huic hominum generi maiores nostri sic parcendum, iudices, arbitrabantur, ut eos non modo in invidia, verum etiam in culpa defenderent; itaque non solum recte factis eorum praemia, sed etiam delictis veniam dare solebant.

16. exsurgite, quaeso, viri optimi atque fortissimi legati amplissimae atque honestissimae civitatis, resistite per deos immortales eorum periuriis iniuriisque, quorum saepenumero telis restitistis.

17. homo omnibus ornamentis virtutis et existimationis praeditus, qui mihi videtur quasi quoddam exemplar pristinae gravitatis et monimentum antiquitatis in republica divinitus servari.

---

18. pro Fonteio Marcus Tullius exsequitur, quod eius causa non sit eadem quae Verris. C. Iulius Victor 400, 12 ed. Halm. cf. fragm. 15, cui adiectam fuisse hanc comparationem probabile est.

19. licet etiam principales quaestiones in principio praecerpere, sed praecursu solo atque tactu, non ut de his quaeri videatur, quomodo pro Flacco et pro Fonteio M. Tullius: nihil agi illo iudicio, nisi ut magistratus in provinciis non audeant imperare sociis, quod ex usu rei publicae sit. C. Iulius Victor 423, 10 ed. Halm. fortasse ex eodem loco petita sunt verba apud Aquilam 33, 30 ed. Halm. pulchra autem haec fama continget civitati, si optime meritum civem damnaverimus; pulchrum erit exteras nationes existimare infestiores nos esse bonis quam malis; pulchre communibus utilitatibus consulemus, si quos oppressos, ut hostes cupiere, nos circumvenerimus.

20. argumenta ducuntur a toto, a parte — ut M. Tullius in defensione fecit pro Fonteio: si nulla pecunia numerata est, quod est totum, cuius pecuniae quinquagesima est? quod est pars. C. Iulius Victor 397, 18.

21. frumenti maximus numerus e Gallia, peditatus amplissimae copiae e Gallia, equites numero plurimi e Gallia. ἀντιστροφῆς s. conversi exemplum apud Aquilam 33, 14 ed. Halm. et Martianum Capellam 482, 2.

22. vini avidum genus (Gallos dicit) affectans ad vini similitudi-

nem multiplices potus; et inter eos humiles quidam obtusis ebrietate continua sensibus, quam furoris voluntariam speciem esse Catoniana sententia definivit, raptantur discursibus vagis, ut verum illud videatur, quod ait defendens Fonteium Tullius, Gallos post haec dilutius esse poturos, quod illi venenum esse arbitrabantur. ib. 22.

23. pervenit res (amphibolia) usque ad aenigma, quale est Ciceronis in Plaetorium Fonteii accusatorem, cuius matrem dixit, dum vixisset, ludum, postquam mortua esset, magistros habuisse. dicebantur autem, dum vixit, infames feminae convenire ad eam solitae; post mortem bona eius venibant. Quint. VI, 9, 51.

IV. ORATIONIS DE LEGE AGRARIA PRIMAE HABITAE IN SENATU.

διεζευγμένον disiunctum appellamus, cum diversis redditionibus verborum cola disiungimus sive duo sive plura hoc modo: Capuam colonis deductis occupabunt, Atellam praesidio communient, Nuceriam, Cumas multitudine suorum optinebunt, cetera oppida praesidiis devincient. Martian. Capella 482, 24 ed. Halm.

V. ORATIONIS IN PISONEM

fragmenta in eodem libello I. Kleinii edita, p. 49.

1. pro dii inmortales! qui hic inluxit dies! mihi quidem, patres conscripti, peroptatus, ut hoc portentum huius loci, monstrum urbis, prodigium civitatis viderem.

2. equidem nihil malui. vos fortasse consumptum istum cruciatu aut demersum fluctibus audire malletis.

3. perturbatio istum mentis et quaedam scelerum offusa caligo et ardentes furiarum faces excitaverunt. (cf. Quint. IX, 3, 47.)

4. quem enim iste in scopulum non incidit? quod in telum non inruit?

5. quid est negare ausus aut potius quid non confessus?

6. quid enim illo inertius? quid sordidius? quid nequius? quid enervatius? quid stultius? quid abstrusius?

7. turbulenti, seditiosi, factiosi, perniciosi.

8. unum potissimum delegissem. cf. ed. nostrae p. 136, n. 8.

9. te tua illa nescio quibus a terris apportata mater pecudem ex alvo, non hominem effuderit.

10. simulata ista ficta fucata sunt omnia.

11. putavi austerum hominem, putavi tristem, putavi gravem, sed video adulterum, video ganeonem, video parietum praesidio, video amicorum sordibus, video ⟨vitae domesticae⟩ tenebris occultantem libidines suas.

fragmenta eiusdem orationis aliunde petita leguntur in ed. nostra V, p. 136.

VI. ORATIONIS PRO SCAURO.

malum interiectio nihil significat, sed exclamationis continet locum, quomodo Cic. pro Scauro: quae malum est ista ratio? Eugr. Comm. Ter. Heaut. IV, 3, 18.

B. FRAGMENTA ORATIONUM DEPERDITARUM.

I. ORATIONIS HABITAE CUM QUAESTOR LILYBAEO DECEDERET.

1. quod non detrectare militiam, sed defendere provinciam iudicata est. Arusianus Messius p. 226 ed. Lindemann.

II. ORATIONIS PRO L. VARENO.

1, 2. (adfectus) cito — principiis aptantur, ut misericordiam captent, cum aut adversariorum calumnias factiones, solitudinem suscepti, vel cetera eius infortunia memoramus, ut pro Vareno: amici deficiunt cognati deserunt et reliqua; aut accusatorum calumniam prodimus, ut in eodem loco: in inimicissima civitate urgent, instant, insecuntur, studio, multitudine, pecunia, periurio pugnant. I. Severianus 369, 20, 22 ed. Halm.

3. C. Ancharius Rufus fuit e municipio Fulginate. Priscianus VII, 14, 70.

4. in praefectura Fulginate. ibid.

5. in contradictione interim totum crimen exponitur — pluribus propositionibus iunctis, ut pro Vareno: cum iter per agros et loca sola faceret cum Pompuleno, in familiam Anchariana incidisse dixerunt, deinde Pompulenum occisum esse, ilico Varenum vinctum adservatum, dum hic ostenderet, quid de eo fieri vellet. quod est utique faciendum, si erit incredibilis rei ordo et ipsa expositione fidem perditurus. Quint. V, 13, 28.

6. explorandum est, ubi controversia incipiat, et considerari debet, quid primam quaestionem faciat. intentio simplex: occidit Saturninum Rabirius; coniuncta: lege de sicariis commisit L. Varenus; nam C. Varenum occidendum et Cn. Varenum volnerandum et Salarium item occidendum curavit. Quint. VII, 1, 9.

7. aut — totam causam nostram cum tota adversarii causa componimus aut singula argumenta cum singulis; quorum utrum sit faciendum, non potest nisi ex ipsius litis utilitate cognosci: ut Cicero singula pro Vareno comparat in primo crimine; est enim superior, cum persona alieni cum persona matris temere compararetur. Quint. VII, 2, 22.

8. iudices et in narratione nonnunquam et in argumentis ut attendant et ut faveant, rogamus, — quale est: tum C. Varenus, qui a

familia Anchariana occisus est — hoc quaeso, iudices, diligenter attendite. Quint. IV, 1, 74, cf. IX, 2, 56.

9. interdum in aliquam personam, quae extra discrimen iudicii est, transfertur, et alias certam, alias incertam; et cum certam, aut in extrariam, aut in ipsius qui petit, voluntatem; in quibus similis atque in *ἀντικατηγορίᾳ* personarum, causarum, ceterorum comparatio est: ut Cicero pro Vareno in familiam Ancharianam — avertens crimen. Quint. VII, 2, 9.

10. L. ille Septimius diceret (etenim est ad L. Crassi eloquentiam gravis et vehemens et volubilis): Erucius hic noster Antoniaster est. Prisc. III, 7, 40. cf. Quint. VIII, 3, 22: interim grati idiotis lepores, qualis ille est — Erucius Antoniaster.

11. ea caedes, si potissimum crimini datur, detur ei, cuia interfuit, non ei, cuia nihil interfuit. Prisc. XII, 6, 29.

12. pro Vareno quoque postea narravit, quam obiecta diluit; quod fiet utiliter, quotiens non repellendum tantum erit crimen, sed etiam transferendum. Quint. IV, 2, 24.

13. patronus —, quotiens poterit, instabit huic loco, ut nihil credibile sit factum esse sine causa: quod Cicero vehementissime multis orationibus tractat, praecipue tamen pro Vareno, qui omnibus aliis premebatur; nam et damnatus est. Quint. VII, 2, 36.

14. fit etiam ex duobus, quorum necesse est ⟨esse⟩ alterum verum, eligendi adversario potestas, efficiturque ut utrum elegerit, noceat. facit hoc Cicero pro Oppio — et pro Vareno: optio vobis datur, utrum velitis casu illo itinere Varenum usum esse, an huius persuasu et inductu. deinde utraque facit accusatori contraria. Quint. V, 10, 69.

15. deum fidem. Prisc. VII, 6, 25.

16. [testes sunt multae multorum orationes, et Ciceronis pro Murena, pro Vareno, in quibus brevis et nuda quasi subscriptio criminum solis titulis indicatur.] Plin. Epp. I, 20, 7.

17. Cicero — contra iuvenem, cuius subinde volnus in iudicio (miserationis commovendae causa) resolvebatur, pro Vareno multa dixit urbane.

18. incidunt causae, in quibus quod summam habet quaestionis, magna ex parte tractandum sit, et sic sit ponenda oratio ut pro Vareno. I. Severianus 358, 27 ed. Halm.

19. anteactae vitae crimina plerumque prima purganda sunt, ut id, de quo laturus est sententiam iudex, audire propitius incipiat. sed hoc quoque pro Vareno Cicero in ultimum distulit, non quid frequentissime, sed quid tum expediret, intuitus. Quint. VII, 1, 12.

III. ORATIONIS PRO OPPIO.

1. utrum, cum Cottam appetisset an cum ipse sese conaretur occidere, telum e manibus ereptum est? Quint. V, 10, 69. cf. supra II, 10 et de facto Salustii fragmenta Histor. p. 236 ed. Gerlach.

2. non dubito haec quoque consequentia ⟨appellare⟩, quamvis ex

prioribus dent argumentum ad ea, quae sequuntur, quorum duas quidam species esse voluerunt: actionis, ut pro Oppio: quos educere invitos in provinciam non potuit, eos invitos retinere qui potuit? consequens enim est eos, qui inviti duci non potuerint, invitos non potuisse retineri. Quint. V, 10, 76.

3. commune qui prior dicit, contrarium facit; est enim contrarium, quo adversarius bene uti potest: at enim non verisimile est, tantum scelus M. Cottam esse commentum. quid? hoc verisimile est, tantum scelus Oppium esse conatum? Quint. V, 13, 30.

4. questusque mecum est. Arusianus p. 257 ed. Lindemann.

5. existimo Tullium praeclare pronuntiasse, cum defenderet Oppium: etenim multum posse ad salutem alterius honori multis, parum potuisse ad exitium, probro nemini unquam fuit. Ammian. Marcell. XXX, 8, 7.

6. nec in personis, sed et in rebus versatur haec contraria dicendi quam quae intellegi velis ratio, ut — ille pro Oppio locus: o amorem mirum! o benevolentiam singularem! Quint. IX, 2, 51.

7, 8, 13. est oratoris interim efficere, ut quid — contrarium — videatur esse. — obicitur Oppio (8), quod de militum cibariis detraxerit; asperum crimen: sed id contrarium ostendit Cicero, quia iidem accusatores obiecerint Oppio, quod is voluerit exercitum largiendo corrumpere. cetera quae proponuntur, communes locos habent, aut enim coniectura excutiuntur, an vera sint, aut finitione, an propria, aut qualitate, an inhonesta, iniqua, improba inhumana, crudelia, et cetera, quae ei generi accidunt; eaque non modo in propositionibus, sed in toto genere actionis intuenda: an sit crudelis, ut Labieni in Rabirium lege perduellionis; —, superba, ut in Oppium ex epistola Cottae reum factum (13). proinde praecipites, insidiosae, impotentes (actiones) deprehenduntur; ex quibus tamen fortissime invaseris, quod est aut omnibus periculosum, ut dicit Cicero pro Tullio — aut ipsis iudicibus, ut pro Oppio (7) monet pluribus, ne illud actionis genus in equestrem ordinem admittant. Quint. V, 13, 17—21.

9. infinitum est enumerare ut (Cicero) Cottae detraxerit auctoritatem, ut pro Ligario se opposuerit, Cornelium ipsa confessionis fiducia eripuerit. Quint. VI, 4, 10.

10. praestatur hoc aliquando etiam dignitatibus, ut libertatis nostrae ratio reddatur, ne quis nos aut petulantes in laedendis eis aut etiam ambitiosos putet; itaque Cicero, quamquam erat in Cottam gravissime dicturus, neque aliter agi P. Oppii causa poterat, longa tamen praefatione excusavit officii sui necessitatem. Quint. XI, 1, 67.

11. procatasceua est, qua iudicem nobis praeparamus, cum aut quaedam nobis obsunt, et illis prius occurrendum est, ut fecit Cicero pro Oppio contra M. Cottae auctoritatem. Fortunatianus 110, 22 ed. Halm.

12. misericordiam movemus, si ab iis nos inpugnari dicimus, quorum auxilio tuti esse deberemus, ut Cicero pro Oppio. I. Severianus 366, 3 ed. Halm.

13. cf. 7.

14. Cicero quoque [de] divinatione in Verrem et pro Oppio II. senati. Charis. I, 143 ed. Keil.

IV. ORATIONIS PRO C. MANILIO.

1. hic ego non solum confiteor, sed etiam profiteor. Nonius v. confiteri p. 434.

V. ORATIONIS PRO M. FUNDANIO.

1. non modo hoc a Villio Annale, sed vix mehercule a Q. Mutone factum probari potest. Prisc. VII, 11, 58.

2. essetne id, quod Meno nuntiasset. Prisc. VI, 6, 29.

3. Arcades — se proselenos esse asserunt, id est, ante lunam natos, quod et Cicero in Fundaniana commemorat. Serv. ad V. Georg. II, 342 cf. etiam Placidum Lactantium ad Stat. Theb. IV, p. 132 ed. Lindenbrog.

4. commissura. Serv. ad V. Aen. IX, 675.

5. puncta. Acro in Hor. A. P. 343.

6. descripsistine eius necessarium, nostrum competitorem? istum ipsum, cuius nunc studio et gratia tota accusatio ista munita est? Boethius de definit. p. 658 ed. Bas. a. 1570.

7. pro Fundanio C. testem, qui primam eius literam dicere non posset, irridet. Quinct. I, 4, 14.

8. quasi vero de facie tua, catamite, dixerim. vel alias potuistine contumeliosius facere, si tibi hoc [Parmeno] alius quis, ac non ipse Parmeno nuntiasset. I. Rufinian. 39, 8 ed. Halm.

VI. ORATIONIS I. PRO C. CORNELIO

ARGUMENTUM Q. ASCONII PEDIANI.

C. Cornelius homo non improbus vita habitus est. fuerat quaestor Cn. Pompeii, dein tribunus pl. C. Pisone consule, biennio ante quam haec dicta sunt. in eo magistratu ita se gessit, ut iusto pertinacior videretur. alienatus est autem a senatu ex hac causa: retulerat ad senatum, ut, quoniam exterarum nationum legatis pecunia mutua magna daretur usura, turpiaque et famosa ex eo lucra fierent, ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret. cuius relationem repudiavit senatus, et decrevit satis factum videri eo S. C., quod ante annos pauculos L. Domitio, C. Caelio consulibus factum erat, cum senatus decrevisset, ne quis Cretensibus pecuniam mutuam daret. Cornelius, ea re offensus senatui, questus est deinde in contione, exhauriri provincias usuris; providendum, ut haberent legati, unde praesentia .... darent; promulgavitque legem, qua auctoritatem senatus minuebat, ne quis nisi per populum legibus solveretur; quod antiquo quoque iure erat cautum, itaque in omnibus S. C., quibus aliquem legibus solvi placebat, adici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur; sed paulatim ferri erat desitum resque iam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adiceretur quidem in S. C. de rogatione ad populum ferenda, eaque ipsa S. C. per pauculos admodum fiebant. indigne eam Cornelii rogationem tulerant potentissimi quique ex senatoribus, quorum gratia magno opere minuebatur; itaque P. Servilius

Globulus tribunus pl. inventus erat, qui C. Cornelio obsisteret: is, ubi legis ferundae dies venit et praeco subiciente scriba verba legis recitare populo coepit, et scribam subicere et praeconem pronuntiare passus non est. tum Cornelius ipse codicem recitavit, quod cum improbe fieri C. Piso consul vehementer quereretur tollique ea re tribuniciam intercessionem diceret, gravi convicio a populo exceptus est; et cum ille eos, qui sibi intentabant manus, prendi a lictore iussisset, fracti eius fasces sunt, lapidesque etiam ex ultima contione in consulem iacti: quo tumultu Cornelius perturbatus concilium dimisit. actum deinde eadem de re in senatu est magnis contentionibus. tum Cornelius ita ferre rursus coepit, ne quis in senatu legibus solveretur, nisi CC adfuissent, neve quis, cum solutus esset, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur. haec sine tumultu res acta est; nemo enim negare poterat, pro auctoritate senatus esse eam legem: sed tamen eam tulit invitis optimatibus, qui vel pauci S. C. ...... gratificari solebant. aliam deinde legem Cornelius, etsi nemo repugnare ausus est, multis tamen invitis tulit, ut praetores ex edictis suis perpetuis ius dicerent; quae res cunctam gratiam ambitiosis praetoribus, qui varie ius dicere solebant, sustulit. alias quoque complures leges Cornelius promulgavit, quibus plerique collegae intercesserunt: per quas contentiones totus prope tribunatus eius peractus est. sequente deinde anno M.' Lepido L. Volcatio coss., quo anno praetor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de maiestate fecerunt; detulit nomen Publius, subscripsit Caius; et cum P. Cassius praetor decimo die, ut mos est, adesse iussisset, eoque die ipse non affuisset, seu avocatus propter publici frumenti curam seu gratificans reo, circumventi sunt ante tribunal eius accusatores a notis operarum ducibus, ita ut mors intentaretur, si [mox] non desisterent; quam perniciem vix effugerunt interventu consulum, qui advocati reo descenderant. et cum in scalas quasdam Cominii fugissent, clausi [in] noctem ibi se occultaverunt, deinde per tecta vicinarum aedium profugerunt ex urbe. postero die cum P. Cassius assedisset et citati accusatores non adessent, exemptum nomen est de reis Cornelii; Cominii autem magna infamia flagraverunt vendidisse silentium [magna] pecunia. sequente deinde anno, L. Cotta L. Torquato coss., quo haec oratio a Cicerone praetorio dicta est, cum † prima pars M. Manilius, qui iudicium per operarum duces turbaverat, deinde quod ex S. C. anno cos. ...... praesidebant, et iudicio non respondisset ...... atque esset damnatus, decrevisset ⟨infam⟩iam acceptae pecuniae tollere ait ...... Cornelium lege maiestatis. res acta est magna exspectatione † paucos ante me ergo ...... Cornelius, perterritus Manilii exitu ⟨neminem⟩ in iudicium adhibuit, ut ne clamor quidem ullus ab advocatis eius oriretur. dixerunt in eum infesti testimonia principes civitatis, qui plurimum in senatu poterant, Q. Hortensius, Q. Catulus, Q. Metellus Pius, L. Lucullus, M.' Lepidus; dixerunt autem hoc: vidisse se, cum Cornelius in tribunatu codicem pro rostris ipse recitaret, quod ante Cornelium nemo fecisse existimaretur. volebant videri, se iudicare eam rem magno opere ad crimen imminutae maiestatis [tribuniciae] pertinere; etenim prope tollebatur intercessio, si id tribunis permitteretur. Cicero, quia non poterat negare id factum esse, eo confugit, ut diceret, non ideo, quod lectus sit codex a tribuno, imminutam esse tribuniciam potestatem. qua vero arte et scientia orationis, ita ut et dignitatem clarissimorum civium, contra quos dicebat, non violaret, et tamen auctoritate eorum laedi reum non pateretur, quantaque moderatione rem tam difficilem aliis tractaverit, lectio ipsa declarabit. adiumentum autem habuit, quod, sicut diximus, Cornelius, praeter destrictum propositum adversus principum voluntatem, cetera vita nihil fecerat, quod magno opere improbaretur; praeterea quod et ipse Globulus, qui intercesserat, aderat Cornelio, † et quod ipsum quoque diximus, quod Cornelius Pompeii Magni

quaestor fuerat apud duas ...... decurias equitum Rom. et tribuno ..... et ex tertia quoque parte ...... apud plerosque exceptis iis ...... familiaris principum civitatis. res acta est magno conventu magnaque exspectatione, quis eventus iudicii futurus esset ...... a summis viris dici testimonium ..... et id, quod ei dicerent, confiteri animadvertebant. exstat oratio Cominii accusatoris, quam sumere in manus est aliquod operae pretium, non solum propter Ciceronis orationes, quas pro Cornelio habemus, sed etiam propter semet ipsam. Cicero ipse significat quatriduo Cornelium defendisse; quas actiones contulisse eum in duas orationes apparet. iudicium id exercuit Q. Gallius praetor.

ENARRATIO.

1. postulatur me praetore primum de pecuniis repetundis. prospectat videlicet Cominius, quid agatur, videlicet homines foeneos in medium ad tentandum periculum proicit.

versu a primo circiter CLXI. simulacra effigie hominum ex foeno fieri solebant, quibus obiectis ad spectaculum praebendum tauri irritarentur.

2. quid? Metellus summa nobilitate ac virtute, cum bis iurasset, semel privatim patri, ⟨iterum⟩ publice † legis deiectus est ratione an vi [an] veri ...... suspitionem omnem tollit ⟨Curionis⟩ virtus ac dignitas et Q. Metelli ...... adulescentia ad summam laudem omnibus rebus ornata.

hoc exemplum affert hoc loco, quod vult probare desistere eum debere ab accusatione: quamquam neque accusavit, neque fecit pactionem; nam Metellus et postulaverat Curionem et destiterat. confugit autem orator ad Metelli nobilitatem et ad C. Curionis industriam, ut tegeret id, quod illi utilius quam honestius fecerant. res autem tota se sic habet: in qua quidem illud primum explicandum est, de quo Metello hoc dicat. fuerunt enim tunc plures Quinti Metelli, ex quibus duo consulares, Pius et Creticus, de quibus apparet eum non dicere, duo autem adolescentes Nepos et Celer, ex quibus nunc Nepotem significat. eius enim patrem, Q. Metellum Nepotem, Balearici filium, Macedonici nepotem, qui consul fuit cum T. Didio, Curio is, de quo loquitur, accusavit; isque Metellus moriens petiit ab hoc filio suo Metello, ut Curionem, accusatorem suum, accusaret, et id facturum esse iureiurando adegit. Metellus fecit reum Curionem; cumque interim quendam civem idem Metellus servum suum esse contendens vi arripuisset ac verberibus affecisset, Curio assertorem ei comparavit; dein cum appareret eum exitum iudicii illius futurum, ut liber is iudicaretur, quem Metellus verberibus affectum esse negare non poterat, inter Metellum et Curionem facta † pactione arbitrium de libertate peregere .... sed tamen ille in libertatem de quo ut neque Metellus perstaret in accusatione Curionis: eaque pactio ab utroque firmata est. huc ergo illud pertinet, cum iurasse dixit semel privatim et iterum lege, tum scilicet, cum in Curionem calumniam iuravit. cum hoc autem Metello postea Cicero simultates gessit; evasit enim Metellus malus atque improbus civis.

3. legem, inquit, de libertinorum suffragiis Cornelius C. Manilio dedit. quid est hoc, 'dedit?' impulit? an rogavit? an hortatus est? nam dedisse ridiculum est, quasi legem aliquam aut ad scribendum difficilem aut ad excogitandum recondi-

tam: quae lex paucis his annis non modo scripta, sed etiam lata esset.

P. Sulpicium in tribunatu hanc eandem legem significavimus tulisse; tulit autem L. Sylla, qui postea felix appellatus ⟨est⟩, Q. Pompeio Coss. ante XXIII annos quam haec dicta sunt, cum per vim rem publicam possedisset et ab initiis bonarum actionum ad perditas progressus esset; quod et initium bellorum civilium fuit et propter quod ipse Sulpicius consulis armis iure oppressus esse visus est.

4. in quo cum multa reprehensa sint, tum in primis celeritas actionis.

celeritatem actionis significat, quia Manilius, sicut iam ostendimus, post pauculos statim dies quam inierat tribunatum, legem eandem Compitalibus pertulit.

5. petivit tamen a me pater maxima contestatione, ut causam Manilii defenderem.

C. Attium Celsum significat, sicut iam ante dictum est.

6. nam cum is tribunus pl. duas leges tulisset in eo magistratu, unam perniciosam, alteram egregiam, quod summa re publica non haesit, id ab illo ipso tr. abiectum est, bonum autem quod summa re publica manet, in vestri ordina....dis ... fuit.

versu a primo DCCCL. dicit de eodem Manili tribunatu. dictum est etiam supra de his legibus: quarum una de libertinorum suffragiis, quae cum senatusconsulto damnata esset, ab ipso quoque Manilio † altera defensa est [altera] de bello Mithridatico Cn. Pompeio extra ordinem mandando, ex qua lege tum Magnus Pompeius bellum gerebat.

7. aliis ille in illum furorem magnis hominibus auctoribus impulsus est, qui aliquod institui exemplum disturbandorum iudiciorum ⟨rei publicae⟩ perniciosissimum, temporibus suis adcommodatissimum, meis alienissimum rationibus cupierunt.

dicit de disturbato iudicio Maniliano. L. Catilinam et Cn. Pisonem videtur significare. fuit autem Catilina patricius, et eodem illo tempore erat reus repetundarum, cum provinciam Africam obtinuisset et consulatus candidatum se ostendisset. accusator erat eius P. Clodius, adolescens ipse quoque perditus, qui postea cum Cicerone inimicitias gessit. Cn. quoque Piso, adolescens potens et turbulentus, familiaris erat Catilinae omniumque consiliorum eius particeps et turbarum auctor.

8, 9. possum dicere, hominem summa prudentia clarum C. Cottam de suis legibus abrogandis ipsum ad senatum rettulisse; possum et eiusdem Cottae legem de iudiciis privatis anno post, quam lata sit, a fratre eius ⟨abrogatam⟩.

versu circ. MXI.

hic est Cotta, de quo iam saepe diximus, magnus orator habitus et compar in ea gloria P. Sulpicio et C. Caesari. videntur autem in rebus parvis fuisse leges illae, quas cum tulisset, retulit de iis abrogandis ad senatum; nam neque apud Salustium neque apud Livium, neque apud Fenestellam ullius alterius latae ab eo legis mentio, praeter eam. quam

in contione .... nobilitate magno populi studio ut his .... fuissent, alios quoque magistratus .. .. aliter et quod lex dictatore L. Sylla paucis .... lata perhibebant; neque eam Cottae legem abrogatam esse significat.

sequitur. M. Cottam significat; fuerunt autem tres: duo hi, Caius et Marcus, tertius L. Cotta, qui lege sua iudicia inter tres ordines communicavit, senatum, equites, tribunos aerarios; adeptique sunt omnes consulatum.

10. legem Liciniam et Muciam de civibus redigundis video constare inter omnes, quam duo consules omnium, quos vidimus, sapientissumi tulissent, non modo inutilem, sed perniciosam rei publicae fuisse.

statim. L. Licinium Crassum oratorem et Q. Mucium Scaevolam pontificem maximum eundemque et oratorem et iuris consultum significat; hi enim legem eam, de qua loquitur, de redigendis in suas civitates sociis in suo consulatu tulerunt. cum summa cupiditate civitatis Romanae Italici populi tenerentur et ob id magna pars eorum pro civibus Romanis se gereret, necessaria lex visa est, ut in suae quisque civitatis ius redigeretur. verum ea lege ita alienati animi sunt principum Italicorum populorum, ut ea vel maxima causa belli Italici, quod post triennium exortum est, fuerit.

11. a. quattuor omnino genera sunt, iudices, in quibus per senatum more maiorum statuatur aliquid de legibus. unum est eius modi, placere legem abrogari; ut Q. Caecilio, M. Iunio consulibus, quae leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur. b. alterum, quae lex lata esse dicatur, ea non videri populum teneri; ut L. Marcio Sex. Iulio consulibus de legibus Liviis. c. tertium est de legum derogationibus. quo de genere persaepe senatusconsulta fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia, cui derogaretur.

a. Q. Caecilius Metellus Numidicus, M. Iunius Silanus, de quibus facit mentionem, consules fuerunt bello Cimbrico, quod diu prave simul et infeliciter gestum est. atque ipse quoque hic Iunius male rem adversus Cimbros gessit, ac ⟨senatus⟩ plures leges, quae per eos annos, quibus haec † significabantur populo, latae erant, quibus militiae stipendia minuebantur, abrogavit. b. puto vos reminisci, has esse leges Livias, quas illis consulibus M. Livius Drusus, tribunus plebis, tulerit. qui cum senatus partes tuendas suscepisset et leges pro optimatibus tulisset, postea eo licentiae est progressus, ut nullum in his morem servaret. itaque Philippus consul, qui ei inimicus erat, obtinuit a senatu, ut leges eius omnes uno senatus consulto tollerentur. decretum est enim contra auspicia esse latas neque iis teneri populum. c. lex haec Calpurnia de ambitu erat; tulerat eam ante biennium C. Calpurnius Piso consul, in qua praeter alias poenas pecuniaria quoque poena erat adiecta.

12. P. Africanus ille superior dicitur non solum a sapientissimis hominibus, qui tum erant, verum etiam a se ipso saepe accusatus esse, quod, cum consul esset cum Ti. Longo, passus esset tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari.

*hoc factum est secundo consulatu Scipionis, post septimum annum, quam Carthaginiensibus bello secundo data est pax. factum id esse autem Antias tradidit ludis Romanis, quos fecerunt aediles curules C. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo, et id eos fecisse iussu censorum Sex. Aelii Paeti, C. Cornelii Cethegi; et videtur in hac oratione hunc quidem auctorem secutus Cicero dixisse passum esse Scipionem secerni a cetero consessu spectacula senatorum. in ea autem, quam post aliquot annis habuit, de aruspicum responso, non passum esse Scipionem, sed ipsum auctorem fuisse dandi eum locum senatoribus videtur significare. verba eius haec sunt: 'nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri maiores ante templum Matris Magnae fieri celebrarique voluerunt? quibus primum ludis ante populi consessum senatui locum P. Africanus II cos' ** et collega eius Sempronio Longo hoc tributum esse senatui scribit, sed sine mentione Megalesium (aediles enim eos ludos facere soliti erant) votivis ludis factum tradit, quos Scipio et Longus consules fecerint. non praeterire autem vos volo, esse oratoriae calliditatis [ius], ut, cum opus est, eisdem rebus ab utraque parte vel a contrariis utantur. nam cum secundum Ciceronis opinionem auctore Scipione consule aediles secretum ante omnes locum spectandi senatoribus dederint, eodem illo facto Scipionis in hac quidem oratione, quia causa popularis erat, premebaturque senatus auctoritate, atque ob id dignitatem eius ordinis quam possit maxime elevari causae expediebat, poenituisse ait Scipionem, quod passus esset id fieri; in [ea] oratione de aruspicum responso, quia in senatu habebatur, cuius auribus erat blandiendum, et magnopere illum laudat, et non auctorem fuisse dandi (nam id erat levius), sed ipsum etiam dedisse dicit.*

13. est utique ius vetandi, cum ea feratur, quam diu ... ferundi transferuntur, id est ... lex, dum privati dicunt; dum ... dum sitella defertur; dum aequantur sortes; dum sortitio fit, et si qua sunt alia huius generis.

circa medium, quo loco numerat, cum lex feratur, quot loca intercessionis sunt † iubeat dicere. alia populus confusus, ut semper alia, ita et in contione † id peractis, cum id solum superest, ut populus sententiam ferat. iubet enim is, qui fert legem, d i s c e d e r e; quod verbum non hoc significat, quod in communi consuetudine erat, de eo loco, ubi lex fertur, sed ⟨ut⟩ in suam quisque tribum discedat, in qua est suffragium laturus.

14. unum tamen, quod hoc ipso tribuno pl. factum est, praetermittendum non videtur: neque enim maius est legere codicem, cum intercedatur, quam sitellam ipsam cum ipso intercessore deferre, nec gravius incipere ferre quam perferre, nec vehementius ostendere se laturum invito collega quam ipsi collegae magistratum abrogare, nec criminosius tribus ad legem accipiendam quam ad collegam reddendum privatum intro vocare: quae vir fortis huius collega Aulus Gabinius in re optima fecit omnia; neque, cum salutem populo Romano atque omnibus gentibus finem diuturnae [cupiditatis] turpitudinis et servitutis afferret, passus est plus unius collegae sui quam universae civitatis vocem valere et voluntatem.

paulo post. manifestum est de ea lege Ciceronem nunc dicere, qua Cn. Pompeio bellum adversus piratas datum est. L. autem Trebellius est tribunus plebis, quem non nominat; quo perseverante intercedere (nam senatui promiserat moriturum se ante quam illa lex perferretur), intro vocare tribus Gabinius coepit, ut Trebellio magistratum abrogaret, sicut quondam Ti. Gracchus tribunus M. Octavio collegae suo magistratum abrogavit; et aliquamdiu Trebellius ea re non perterritus aderat, perstabatque in intercessione, quod minari magis quam perseveraturum esse Gabinium arbitrabatur; sed postquam VII et X tribus rogationem acceperunt, et † una mens esset ut modo superat populi iussum conficeret, remisit intercessionem Trebellius, atque ita legem Gabinius de piratis persequendis pertulit.

15. at enim de corrigenda lege retulerunt.

diximus iam in principio, Cornelium primo legem promulgasse, ne quis per senatum legibus solveretur, ⟨deinde⟩ tulisse, ut tum denique de ea re senatusconsultum fieret, cum adessent in senatu non minus CC. haec est illa, quam appellat, correctio.

16. iidem, nisi haec ipsa lex, quam C. Cornelius tulit, obstitisset, decrevissent id, quod palam iam isti defensores iudiciorum pugnaverunt, senatui non placere id iudicium de Sullae bonis fieri: quam ego causam longe aliter praetor in contione defendi, cum id dicerem, quod idem iudices postea statuerunt, iudicium aequiore tempore fieri oportere.

quia defuerat superioribus temporibus in aerario pecunia publica, multa et saepe eius rei remedia erant quaesita, in quibus hoc quoque, ut pecuniae publicae, quae residuae apud quemque essent, exigerentur. id autem maxime pertinebat ad Cornelium Faustum, dictatoris filium, quia Sylla per multos annos, quibus exercitibus praefuerat et rem publicam tenuerat, sumpserat pecunias ex vectigalibus et ex aerario populi Romani, eaque res saepe erat agitata, saepe omissa, partim propter Syllanarum partium ⟨potentiam⟩, partim quod iniquum videbatur, post tot annos, quam quis pecuniam acceperat resque .... redderet rationem.

17. antea vero quam multarum rerum iudicia sublata sint, et quia scitis, praetereo, et ne quem in iudicium oratio mea revocare videatur.

statim. bello Italico, quod fuit adolescentibus illis, qui tum in re publica vigebant, cum multi Varia lege inique damnarentur, quasi id bellum illis auctoribus conflatum esset, crebraeque defectiones Italicorum nuntiarentur, tunc ob eius tristitiae occasionem senatus decrevit, ne iudicia, dum tumultus Italicus esset, exercerentur, quod decretum eorum in contionibus populi saepe agitatum erat. supererant autem ex iis, qui illa iudicia metuerant † ingentum maxime ⟨pater⟩ C. Curionis adolescentis eius, qui bello civili Caesaris fuit partium.

18. a. non Cn. Dolabella C. Volcatium, honestissimum virum, communi et quotidiano iure privasset; b. non denique homo illorum et vita et prudentia dissimilis, sed tamen nimis in gratificando iure liber, L. Sisenna bonorum Cn. Cornelii possessionem ex edicto suo P. Scipioni adulescenti summa nobilitate eximia virtute praedito non dedisset.

a. paulo post. duo fuerunt eo tempore Dolabellae, quorum alterum C. Caesar accusavit, alterum M. Scaurus. b. hoc solum hic annotandum est, hunc esse L. Sisennam, qui res Romanas scripsit.

19. quare cum hunc populus Romanus videret, et cum a tribunis plebi doceretur ambitum nisi poena accessisset in divisores, extingui .... nullo modo posse, legem hanc Cornelii flagitabat, illam, quae ex senatus consulto ferebatur, repudiabat, idque iure, ut docti sumus duorum consulum designatorum calamitate * *

20. ut spectaculum illud [duorum designatorum consulum calamitate] re et tempore salubre ac necessarium, genere et exemplo miserum ac funestum videremus.

et eadem de re paulo post. P. Syllam et P. Autronium significat, quorum alterum L. Cotta, alterum L. Torquatus, qui, cum haec Cicero dicebat, consules erant, ambitus damnarant et in eorum locum creati erant.

21. quid ego nunc tibi argumentis respondeam posse fieri, ut alius aliquis Cornelius sit, qui habeat Philerotem? res .... volgare nomen esse Philerotis, Cornelios vero ita multos, ut iam etiam collegium constitutum sit?

frequenter tum etiam coetus factiosorum hominum sine publica auctoritate malo publico fiebant, propter quod postea collegia S. C. et pluribus legibus sunt sublata, praeter pauca atque certa, quae utilitas civitatis desiderasset † quasi, ut fabrorum fictorumque.

22. at enim extremi ac difficillimi temporis vocem illam, C. Corneli, consulem mittere coëgisti, qui rem publicam salvam esse vellent, ut ad legem accipiendam adessent.

Piso, qui consul eodem anno fuit, quo Cornelius tribunus plebis erat, cum legem de ambitu ex SCto graviorem, quam fuerat antea, ferret, et propter multitudinem divisorum, qui per vim adversabantur, e foro eiectus esset, edixerat id, quod Cicero significat, et maiore manu stipatus ad legem perferendam descenderat.

23. a. vestros animos propter illius tribuni plebis temeritatem posse adduci, ut omnino a restitutione illius potestatis abalienentur; b. qui restituerunt eam potestatem, alterum nihil unum posse contra multos, alterum longe abesse.

a. plebem ex Maniliana offensione victam et domitam esse dicit. b. manifestum puto esse vobis, M. Crassum et Cn. Pompeium significari, e quibus Crassus iudex tum sedebat in Cornelium, Pompeius in Asia bellum Mithridaticum gerebat.

24. tanta igitur in illis virtus fuit, ut anno XVI post reges exactos propter nimiam dominationem potentium secederent, leges sacratas ipsi sibi restituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons sacer nominatur, in quo armati consederant, aeternae memoriae causa consecrarent. itaque auspicato postero anno X tribuni plebi comitiis curiatis creati sunt.

inducor magis librariorum hoc loco esse mendam, quam ut Ciceronem parum proprio verbo usum esse credam. illo enim tempore, de quo loquitur, quod fuit post XVI annos quam reges exacti sunt, plebs sibi leges sacratas non restituit (nunquam enim tribunos plebis habuerat), sed tum primum eas constituit. numerum quidem annorum post reges exactos quam id factum est, diligenter posuit, is qui fuit A. Verginio Tricosto, T. Veturio Cicurino coss. ceterum quidam non duo tribunos plebis, ut Cicero dicit, sed quinque tradunt creatos tum esse, singulos ex singulis classibus. sunt tamen, qui eundem illum duorum numerum, quem Cicero, ponant, inter quos Tuditanus et Pomponius Atticus Liciusque noster; idem hic et Tuditanus adiiciunt tres praeterea ab illis duobus collegas creatos esse. nomina duorum, qui primi creati sunt, haec traduntur: L. Sicinius L. F. Bellutus, L. Alpinius C. F. Paterculus. reliqua pars huius loci, quae pertinet ad secundam constitutionem tribunorum et decemvirorum finitum imperium et breviter et aperte ab ipso dicitur. nomina sola non adiicit, quis ille ex decemviris fuerit, qui contra libertatem vindicias dederit, et quis ille pater, contra cuius filiam id decrevit; scilicet quod notissimum est, decemvirum illum Appium Claudium fuisse, patrem autem virginis L. Virginium.

25. tum interposita fide per tris legatos, amplissimos viros Romam armati reverterunt, in Aventino consederunt, inde armati in Capitolium venerunt; decem tribunos plebis per pontificem, quod magistratus nullus erat, creaverunt.

unum hoc tantummodo explicandum, quo loco primum de secunda secessione plebis, dehinc concordia facta sic dicit: 'tum interposita — creaverunt.' legati tres, quorum nomina non ponit, hi fuerunt: Sp. Tarpeius, C. Iulius, P. Sulpicius, omnes consulares; pontifex maximus fuit M. Papirius.

26. etiam haec recentiora praetereo; ponam principium iustissimae libertatis, Cassiam; qua lege suffragiorum vis potestasque convaluit; alteram Cassiam, quae populi iudicia firmavit.

quae sit ista lex Cassia, qua suffragiorum potestas convaluit, manifestum est; nam ipse quoque paulo ante dixit legem Cassium tulisse, ut populus per tabellam suffragium ferret. altera Cassia lex, quae populi iudicia firmavit, quae sit, potest quaeri; est autem haec: L. Cassius L. F. Longinus, tribunus plebis C. Mario, C. Flavio coss. plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut, quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu non esset. tulerat autem eam maxime propter simultates cum Q. Servilio, qui ante biennium consul fuerat et cui populus, quia male adversus Cimbros rem gesserat, imperium abrogavit.

27. qui non modo ⟨vivo⟩ Sulla, verum etiam illo mortuo, semper hoc se summis opibus retinendum putaverunt; inimicissimi C. Cottae fuerunt, quod is paulum tribunis plebi non potestatis, sed dignitatis addidit.

hic Cotta, ut puto, legem tulit, ut tribunis plebis liceret postea alios magistratus capere; quod lege Syllae iis erat ademptum.

28. quamdiu quidem hoc animo erga vos illa plebs erit,

quo se ostendit esse, cum legem Aureliam, cum Risciam non modo accepit, sed etiam efflagitavit.

*Aurelia lege communicata esse iudicia inter senatores et equestrem ordinem et tribunos aerarios ** qua L. Roscius Otho biennio ante confirmavit in theatro ut equitibus Romanis XIIII ordines spectandi gratia darentur.*

29. memoria teneo, cum primum senatores cum equitibus Romanis lege Plotia iudicarent, hominem diis ac nobilitati perinvisum, Cn. Pompeium causam lege Varia de maiestate dixisse.

M. Plautius Silvanus, tribunus plebis Cn. Pompeio Strabone L. Porcio Catone coss. secundo anno belli Italici, cum equester ordo in iudiciis dominaretur, legem tulit adiuvantibus nobilibus; quae lex vim eam habuit, quam Cicero significat; nam ex ea lege tribus singulae ex suo numero quinos denos suffragio creabant, qui eo anno iudicarent. ex eo factum est, ut senatores quoque in eo numero essent et quidam etiam ex ipsa plebe.

---

30. ut ab Iove optimo maximo ceterisque diis deabusque omnibus opem et auxilium petam. Priscian. VII, 3, 11.

31. nihil senatui detraxisse Cornelium. Arusianus p. 224 Lindem.

32. ex promulgatione trinundinum dies ad ferendum potestasque venisset. Priscian. VII, 3, 9.

32 b. est — propositio ratione subiecta, ut: maiestatem minuit Cornelius, nam codicem tribunus pl. ipse pro contione legit. Quint. IV, 4, 8. cf. I. Victor. 417, 19 ed. Halm.

33. quod — posui referre, quo quidque accusator modo dixerit, huc pertinet ut si — acri et vehementi fuerit usus oratione, eandem rem nostris verbis mitioribus proferamus, ut Cicero de Cornelio codicem attigit. Quint. V, 13, 25. cf. IV, 4, 8.

34. in Corneliana prima repugnare dicit, ut divisores, quos honoris sui ministros esse voluerat, lege ambitus vellet affligere. Martianus Capella 468, 16 ed. Halm. (492).

35. quae intermissa compluris annos. Prisc. VII, 17, 86.

36. num alicui gratificabatur aut homini aut ordini? Prisc. VIII, 15, 22.

37. coeptum igitur per eos, qui agi volebant; desitum est per hunc, qui decessit. Prisc. X, 7, 40 et 9, 55.

38. circumitis rostris eicerentur lapidibus homines. Prisc. VIII, 15, 82.

39. μετάστασιν transmotionem quidam inter figuras nominavit, cum rem a nobis alio transmovemus, non ita ut ibi causam constituamus — alioquin iam non figura erit, sed species quaedam eius status, quem qualitatis aut ex accidenti appellant secundum Hermagoram — ceterum alibi, in parte aliqua orationis sententiam hoc modo figuramus, qualis est apud Demosthenem (XVIII, 18) — tale et illud pro Cornelio

videri potest de aerario: refertum, inquit, tribuniciis legibus, exhaustum a quibus sit ipsi sciunt. Aquila 26, 30 ed. Halm.

40. qui eloquentia ceteris antecellit. Prisc. X, 6, 36.

41. sed ab urbe dierum iter afuerunt complurium. Arus. 45 Lind. Front. ed. Rom. 366.

42. quid enim? mihi certamen est cum accusatore aut contentio. Arus. 218 Lind.

43. demi medius fidius de his ornamentis aliquantum malim. ib. 226 Lind.

44. das enim mihi facultatem eos, qui tum adfuerint Cornelio, nominandi. ib. 213.

45. facite, ut facitis, qui ad causam adestis. ib.

46. cur nunc redeant, si tunc gratiae concesserint? ib. 220.

47. quid, quod ne cum eis quidem expertus es, quos duces operarum fuisse dixisti? ib. 226.

48. eius modi mihi duos laqueos in causa esse propositos, ut si me altero expedissem, tenerer altero. ib. 228.

49. aperuit forem scalarum. Acro ad Hor. Serm. I, 2, 67.

50. correpsit in scalas. Schol. vet. in Iuvenal. VII, 118.

51. sunt quaedam partes causae perpetuae, quae verba humilia desiderent, ut latet in scalis tenebrosis Cominius. Fortunatianus ed. Halm 123, 18.

52. item pro Cornelio maiestatis: replicate; ipsa sunt: legite ut legebatis, hinc intellegetis nulla tenuissima suspitione describi aut significari Cornelium. Boethius de definitione p. 659. ed. Bas.

53. est interim certa finitio, de qua inter utramque partem convenit, ut Cicero dicit: maiestas est in imperio atque in omni populi Romani dignitate. quaeritur tamen, an maiestas minuta sit, ut in causa Cornelii quaesitum est. Quint. VII, 3, 35.

54. cf. fragm. ex orr. incert. 30.

55. quo ex genere (egressionis) est pro C. Cornelio popularis illa virtutum Cn. Pompeii commemoratio, in quam ille divinus orator velut nomine ipso ducis cursus dicendi teneretur, abrupto quem inchoaverat sermone devertit. Quint. IV, 3, 13 (cf. XI, 3, 164).

56. (Cicero) ut — corporis humani pro Cluentio, ita pro Cornelio equorum, pro Archia saxorum quoque usus est similitudine. Quint. V, 11, 25.

57. testes in Cornelium accusator lecti a tribuno plebis codicis pollicetur: facit hoc Cicero supervacuum, quia ipse fateatur. Quint. V, 13, 18. adde VI, 4, 10.

58. ἀποσιώπησις — alio transeundi gratia: Cominius autem — — tametsi ignoscite mihi, iudices. in quo est et illa (si tamen inter schemata numerari debet, cum aliis etiam pars causae videatur) digressio, abit enim [causa] in laudes Cn. Pompeii; idque fieri etiam sine ἀποσιωπήσει potuit. Quint. IX, 2, 55.

VII. ORATIONIS II. PRO CORNELIO.

1. *διαπόρησις*, addubitatio. hac utimur, cum propter aliqua volumus videri addubitare et quasi ab ipsis iudicibus consilium, quo potissimum genere orationis utamur; quale est — pro Cornelio: pugnem aperte contra nobilissimorum hominum voluntates? studia, consilia cogitationesque eorum aperiam? et cetera, quae quasi dubitans an sibi facienda sint, dicit. Aquila ed. Halm. 25, 15.

2. incisim — et membratim tractata oratio in veris causis plurimum valet, maximeque eis locis, cum aut arguas aut refellas, ut nostra in Corneliana secunda: o callidos homines! o rem excogitatam! o ingenia metuenda! membratim adhuc, deinde caesim: diximus, rursus membratim: testis dare volumus. extrema sequitur comprehensio, sed ex duobus membris, qua non potest esse brevior: quem, quaeso, nostrum fefellit ita vos esse facturos? Cic. Orat. 225.

3. num in eo, qui sint hi testes, haesitatis? ego vobis edam: duo reliqui sunt de consularibus, inimici tribuniciae potestatis; pauci praeterea adsentatores eorum atque adseclae subsequuntur.

M. Lucullum et M.' Lepidum significat. quinque enim consulares, ut iam diximus, in Cornelium testimonium dixerunt: Q. Catulus, Q. Hortensius, Q. Metellus Pius pontifex maximus, quos hac secunda oratione tractat, et duo, qui non dixerunt, quos nunc significat, Lucullus et Lepidus. Asconius, ut 4—7.

4. sed si familiariter ex Q. Catulo sapientissimo viro atque humanissimo velim quaerere, utrius tandem tibi tribunatus minus probari potest C. Cornelii an, non dicam P. Sulpici, non L. Saturnini, non Gai Gracchi, non Tiberi, neminem, quem isti seditiosum existimant, nominabo, sed avunculi tui, Q. Catule, clarissimi patriaeque amantissimi viri, quid mihi tandem responsurum putatis?

5. quid? avunculus tuus, clarissimus vir, clarissimo avo, patre, maioribus, credo, silentio, favente nobilitate, nullo intercessore comparato, populo Romano dedit et potentissimorum hominum collegiis eripuit cooptandorum sacerdotum potestatem?

quid? avunculus *etc. hoc egere enarratione, quia hoc loco nomen non ponit, quis fecerit, ei demum videri potest, qui oblitus sit, minus ante XX versus haec de eo ipso Ciceronem dixisse:* sed si familiariter — putatis.

6. quid? idem Domitius M. Silanum consularem hominem quem ad modum tribunus pl. vexavit?

M. Silanus quinquennio ante consul fuerat quam Domitius tribunus plebis, atque ipse quoque adversus Cimbros rem male gesserat: quam ob causam Domitius eum apud populum accusabat; criminabatur eum cum

Cimbris iniussu populi gessisse, idque principium fuisse calamitatum, quas eo bello populus accepisset, ac de eo tabellam quoque dedit; sed plenissime Silanus absolutus est; nam duae solae tribus eum Sergia et Quirina damnaverunt.

7. haec est controversia eius modi, ut mihi .... tribunus pl. Cn. Domitius, Catulo .. M. Terpolius .. contemptissimum nomen electum [esse] ex eis, qui tribuni pl. fuerunt.

* *post infractam tribuniciam potestatem a Sylla, ante restitutam a Cn. Pompeio, apparet.*

8. quantum sit apta dicere, experiri licet, si compositi oratoris bene structam conlocationem dissolvas permutatione verborum —; corrumpatur enim tota res, ut et haec nostra in Corneliana et deinceps omnia: neque me divitiae movent, quibus omnis Africanos et Laelios multi venalicii mercatoresque superarunt, — neque vestis aut caelatum aurum et argentum, quo nostros veteres Marcellos Maximosque multi eunuchi e Syria Aegyptoque vicerunt; neque vero ornamenta ista villarum, quibus L. Paullum et L. Mummium, qui rebus his urbem Italiamque omnem referserunt, ab aliquo video perfacile Deliaco aut Syro potuisse superari. Cic. Orat. 232, cf. Quint. IX, 4,14. Non. v. venalicii p. 188.

9. quis tam abundans copiis. Prisc. XVIII,2,19. Arus. 209.

10. a. si vos huius fortunas paucorum odio adiudicaveritis. Arus. 216.

10. b. satius hominem miserum atque innocentem eripi reipublicae, expelli patria, divelli a suis. ib. 227.

11. ad miserrimum crudelissimumque dominatum dedi patiamini. ib. 224.

12. quam diligentes libertatis vos oporteat esse. ib. 226.

13. qui commodis populi Romani lingua dumtaxat ac voluntate consulit. ib. 226.

14. expelleret a dispensantibus. ib. 227.

14 b. quid me apud equites Romanos offendisse dicebant? ib. 251.

15. ne fraudi sit ei, qui populum ad contentionem vocarit. Serv. ad Verg. Aen. XI, 708.

16. ut insinuationis exempla etiam de Cicerone ponamus, ecce insinuatione usus est per circuitionem in Corneliana: si umquam ulla fuit causa, iudices, in qua initio dicendi finxit se a diis petere, quod a iudicibus postulabat, et quomodo illud Vergilianum 'neque me Argolica de gente negabo,' sic et hic. nam primo omnium tempore infestissimo causam dicimus. — in Corneliana circuitione usus est, quia erat Cornelii persona vehementissime offensa. Grill. ed. Halm. 602, 9.

17. restat — ut praetermittas exordium, quod etiam Tullius in primo libro Philippicarum fecit; nam omisso principio cum praepara-

tione narrationis incipit — aut certe nec narratio esse debet, sed aut a lege aut ab aliquo firmissimo argumento inchoare debet orator, sicut in Corneliana: unde igitur ordiar? an ab ipsa lege? ib. 604, 9.

18. Scipio, — qui productus a tribuno plebis eos (Gracchos) dixit iure caesos videri, favore nobilitatis hoc fecit, quia et ipse ex optimatibus erat, non sicut in Cornelianis Tullius: hic mos iam apud illos antiquos et barbatos fuit, ut persequerentur populares. ib. 598, 33.

19. ex Valerio Probo de nom. apud Endlich. 221. Cic. or. 2da pro Cornelio: quare hominem inpugnare non desinunt nisi remotis ministratoribus.

VIII. ORATIONIS IN SENATU IN TOGA CANDIDA CONTRA C. ANTONIUM ET L. CATILINAM COMPETITORES.

ARGUMENTUM Q. ASCONII PEDIANI.

Sex competitores in consulatus petitione Cicero habuit, duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam; quattuor plebeios, ex quibus duo nobiles, C. Antonium, M. Antonii oratoris filium, L. Cassium Longinum; duos, qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium et C. Licinium Sacerdotem. solus Cicero ex competitoribus equestri erat loco natus, atque in petitione patrem amisit. ceteri eius competitores modeste se gessere, visique sunt Q. Cornificius et P. Galba sobrii ac sancti viri, Sacerdos nulla improbitate notus; Cassium, qui iners ac stolidus tum magis quam improbus videretur, post paucos menses in coniuratione Catilinae esse apparuit, ac cruentissimarum sententiarum fuisse auctorem: itaque hi quattuor pro re iacebant. Catilina autem et Antonius, quamquam omnibus maxime infamis eorum vita esset, tamen multum poterant. coierant enim ambo, ut Ciceronem consulatu deiicerent, adiutoribus usi firmissimis, M. Crasso et C. Caesare. itaque haec oratio contra solos Catilinam et Antonium est. causa orationis huius modi in senatu habendae Ciceroni fuit, quod, cum in dies licentia ambitus augeretur propter praecipuam Catilinae et Antonii audaciam, censuerat senatus, ut lèx ambitus aucta etiam cum poena ferretur; eique rei Q. Mucius Orestinus tribunus pl. intercesserat. tum Cicero, graviter senatu intercessionem ferente, surrexit, atque in coitionem Catilinae et Antonii invectus est ante dies comitiorum paucos.

ENARRATIO.

1. dico, patres conscripti, superiore nocte cuiusdam hominis nobilis et valde in hoc largitionis quaestu noti et cogniti domum Catilinam et Antonium cum sequestribus suis convenisse.

aut C. Caesaris aut M. Crassi [domum] significat: etenim acerrimi ac potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores, cum petiit consulatum, quod eius in dies civilem crescere dignitatem animadvertebant; et hoc ipse Cicero in expositione consiliorum suorum significat. eius quoque coniurationis, quae Cotta et Torquato consulibus ante annum, quam haec dicerentur, facta est a Catilina et Pisone, arguit M. Crassum auctorem fuisse.

2. quem enim aut amicum habere potest is, qui tot cives

trucidavit, aut clientem, qui in sua civitate cum peregrino negavit se iudicio aequo certare posse?

*Catilinam, cum in Sullanis partibus fuisset, crudeliter fecisse ** nominatim etiam postea Cicero dicit, quos occiderit, Q. Caecilium, M. Volumnium, L. Tanusium. Marci etiam Marii Gratidiani, summe popularis hominis, qui ob id bis praetor fuit, caput abscisum per urbem sua manu Catilina tulerat: quod crimen saepius ei tota oratione obicit. fuerat vero hic Gratidianus arta necessitudine Ciceroni coniunctus. clientem autem negavit habere posse C. Antonium; nam is multos in Achaia spoliaverat, nactus de exercitu Sullano equitum turmas; deinde Graeci, quos spoliaverat, eduxerunt Antonium in ius ad M. Lucullum praetorem, qui ius inter peregrinos dicebat — egit pro Graecis etiam tum adolescentulus, de quo paulo ante mentionem fecimus — et cum Lucullus id, quod Graeci postulabant, decrevisset, appellavit tribunos Antonius, iuravitque, se ideo eiurare, quod aequo iure uti non posset. hunc Antonium Gellius et Lentulus censores sexennio, quo haec dicerentur, senatu moverunt, causasque subscripserunt, quod socios diripuerit, quod iudicium recusarit, quod propter aeris alieni magnitudinem praedia mancuparit, bonaque sua in potestate non haberet.*

3. nec se iam tum respexit, cum gravissimis vestris decretis absens notatus est.

Catilina ex praetura Africam provinciam obtinuit; quam cum graviter vexasset, legati Afri in senatu iam tum absente illo questi sunt, multaeque graves sententiae in senatu de eo dictae sunt.

4. in iudiciis quanta vis esset, didicit, cum est absolutus; si aut illud iudicium aut illa absolutio nominanda est.

ante annum quam haec dicerentur, Catilina, cum redisset ex Africa, Torquato et Cotta consulibus, accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente, qui postea inimicus Ciceroni fuit. defensus est Catilina, ut Fenestella tradit, a M. Cicerone: quod ego ut addubitem, haec ipsa Ciceronis oratio facit, maxime quod is nullam mentionem rei habet, cum potuerit invidiam facere competitori tam turpiter adversus se coeunti; praesertim cum alterum competitorem suum Antonium in eadem hac oratione sua admoneat, suo beneficio eum ex ultimo loco praeturae candidatum ad tertium pervenisse:

5. nescis me praetorem primum esse factum, te concessione competitorum et conlatione centuriarum et meo maxime beneficio e postremo in tertium locum esse subiectum?

qui igitur Antonio suffragationem suam imputandam putat, is, si defendisset Catilinam, caput eius protectum a se nonne imputaret? quod ita esse manifestum est ex eo, quod statim dicit: Quintus enim Mucius tribunus pl. intercedebat, ne lex ambitus ferretur; quod facere pro Catilina videbatur. hunc Mucium in hac oratione appellans Cicero sic ait:

6. te tamen, Q. Muci, tam male de populo Romano existimare moleste fero, qui hesterno die me esse dignum consulatu negabas. quid? populus Romanus minus diligenter sibi constituet defensorem, quam tu tibi? cum te⟨cum⟩ furti L. Calenus ageret, me potissimum fortunarum tuarum patronum esse voluisti: cuius tu praesidium in tua turpissima

causa delegisti, hunc honestissimarum rerum defensorem populus Romanus auctore te repudiare potest? nisi forte hoc dicturus es, quo tempore a L. Caleno furti delatus sis, eo tempore in me tibi parum auxili esse vidisse.

verum cum ageret Mucii causam Cicero, sicut Catilinae egisse eum videri vult Fenestella, cur iam, quamvis male existimet de causa Mucii, tamen ei exprobret patrocinium suum, non idem in Catilina faciat, si modo pro eo dixit? aut cur ipsum illud iudicium saepius in infamiam vocat? quod parcius videtur fuisse facturus, si in eo iudicio fuisset patronus. atque, ut alia omittam, hoc certe vix videtur dicturus fuisse, si illo patrono Catilina repetundarum absolutus esset:

7, 8. stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit; caede nefaria cruentavit; diripuit socios; leges, quaestiones, iudicia violavit — *et postea:* quid ego, ut involaveris provinciam, praedicem? nam ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es. mentitos esse equites Romanos, falsas fuisse tabellas honestissimae civitatis existimo; mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam: vidisse puto nescio quid illos iudices, qui te innocentem iudicarunt. o miser, qui non sentias illo iudicio te non absolutum, verum ad aliquod severius iudicium ac maius supplicium reservatum!

*verine ergo simile est, haec eum Catilinae obicere, si illo defendente absolutus esset? praeterea movet me, quod, cum sint commentarii Ciceronis causarum, etiam defensionum, commentarium aut principium ** ita quod iudicio absolutus est Catilina, ut Clodius infamis fuerit * praevaricatus esse; nam et reiectio iudicum ad arbitrium rei videbatur esse facta.*

9. populum vero, cum inspectante populo collum secuit hominis maxime popularis, quanti faceret, ostendit.

diximus et paulo ante, Marii caput Catilinam per urbem tulisse.

10. me qua amentia inductus sit ut contemneret, constituere non possum. utrum aequo animo laturum ⟨me⟩ putavit? at in suo familiarissimo viderat, me ne aliorum quidem iniurias mediocriter posse ferre.

manifestum est, C. Verrem significari.

11, 12. alter pecore omni vendito et saltibus prope addictis pastores retinet, ex quibus ait se, cum velit, subito fugitivorum bellum excitaturum; alter induxit eum, quem potuit, ut repente gladiatores populo non debitos polliceretur; eos ipse consularis candidatus perspexit et legit et emit; ⟨id⟩ praesente populo Romano factum est.

C. Antonium significat. Q. Gallium, quem postea reum ambitus defendit, significare videtur; hic enim cum esset praeturae candidatus, quod in aedilitate, quam ante annum gesserat, bestias non habuerat, dedit gladiatorium sub titulo, patri se id dare.

13. quamobrem augete etiam mercedem, si voltis, Q.

Muci: perseveret legem inpedire, ut coepit senatus consultum; sed ego ea lege contentus sum, qua duos consules designatos uno tempore damnari vidimus.

legem Calpurniam significat, quam C. Calpurnius Piso ante triennium de ambitu tulerat. quod autem dicit damnatos esse designatos consules, P. Sullam et P. Autronium, de quibus iam diximus, vult intelligi. cognomen autem Q. Mucio tribuno, quem nominat, fuit Orestinus.

14. a. atque ut istum omittam, in exercitu Sullano praedonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium — b. te vero, Catilina, consulatum sperare aut cogitare non prodigium atque portentum est? a quibus enim petis? a principibus civitatis? qui tibi, cum L. Volcatio consuli in consilio fuissent, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt. c. a senatoribus? qui te auctoritate sua, spoliatum ornamentis omnibus, vinctum paene Africanis oratoribus tradiderunt. d. ab equestri ordine? quem trucidasti? e. a plebe? cui spectaculum eius modi tua crudelitas praebuit, ut nemo sine gemitu ac recordatione luctus aspicere ⟨te⟩ possit.

*a. de Antonio dici manifestum est; sed dicit eum 'in exercitu Sullae praedonem' propter equitum turmas, quibus Achaiam ab eo vexatam esse significavimus; 'in introitu gladiatorem' pertinet ad invidiam proscriptionis, quae tum facta est; 'in victoria quadrigarium,' quod, cum Sulla post victoriam Circenses faceret, ita ut honesti homines quadrigas agitarent, fuit inter eos C. Antonius. b. paulo ante diximus, Catilinam, cum de provincia Africa decederet petiturus consulatum, et legati Afri questi de eo in senatu graviter *** pervenissent: professus deinde est Catilina, petere se consulatum. L. Volcatius Tullus consul consilium publicum habuit, an rationem Catilinae habere deberet, si peteret consulatum; nam quaerebatur repetundarum. Catilina ob eam causam destitit a petitione. c. diximus modo de hoc; nam iudicium quoque secutum repetundarum, a quo ipse per infamiam ⟨iudicum⟩ liberatus est Catilina, sed ita, ut eum senatorum urna damnaret, equitum et tribunorum absolveret. d. equester ordo pro Cinnanis partibus contra Sullam steterat, multasque pecunias abstulerant, ex quo saccularii erant appellati; multique ob eius rei invidiam post Sullanam victoriam erant interfecti. e. eiusdem illius Marii Gratidiani quod caput gestarit, obicit. quo loco dicit Catilinam caput M. Marii gestasse:*

15. quod caput etiam tum plenum animae et spiritus ad Sullam usque ab Ianiculo ad aedem Apollinis manibus ipse suis detulit.

omnia sunt manifesta; ne tamen erretis, quod his temporibus aedes Apollinis in Palatio sit nobilissima, admonendi estis, non hanc a Cicerone significari, utpote quam post mortem etiam Ciceronis multis annis imperator Caesar, quem nunc divum Augustum dicimus, post Actiacam victoriam fecerit, sed illam demonstrari, quae est extra portam Carmentalem, inter forum Olitorium et circum Flaminium; ea enim sola tum demum Romae Apollinis aedes.

16, 17. quid tu potes in defensione tua dicere, quod illi

non dixerint? quae tibi dicere non licebit — *et paulo post:* denique illi negare potuerunt et negaverunt: tu tibi ne infitiandi quidem * impudentiae locum reliquisti. quare praeclara dicentur iudicia tulisse, si, qui infitiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absolverint confitentem.

hic, quem nominat, L. Luscius, notus centurio Sullanus divesque e victoria factus (nam amplius centies possederat), damnatus erat non multo ante quam Cicero dixit; obiectae sunt ei tres caedes proscriptorum. circa eosdem dies L. quoque Bellienus damnatus est, quem Cicero ait avunculum esse Catilinae; hic autem Lucretium Ofellam, consulatum contra voluntatem Sullae ad turbandum statum civitatis petentem, occiderat iussu Sullae tunc dictatoris. his ergo negat ignotum esse, cum etiam imperitos se homines esse et, si quem etiam interfecissent, imperatori ac dictatori paruisse dicerent, ac negare quoque possent; Catilinam vero infitiari non posse. huius autem criminis periculum, quod obicit Cicero, paucos post menses Catilina subiit. post effecta enim comitia consularia et Catilinae repulsam fecit eum reum inter sicarios L. Lucullus paratus eruditusque, qui postea consulatum quoque petiit.

18. a. hanc tu habes dignitatem, qua fretus me contemnis et despicis, an eam, quam reliqua vita es consecutus? cum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus, etiam cum culpa nulla subesset, crimen adferret; b. cum deprehendebare in adulteriis, cum deprehendebas adulteros ipse; cum ex eodem stupro tibi et uxorem et filiam invenisti.

a. Fabia, virgo Vestalis, causam incesti dixerat, cum ei Catilina obiceretur, eratque absoluta. haec Fabia quia soror erat Terentiae Ciceronis, ideo sic dixit: 'etiam si culpa nulla subesset.' ita et suis pepercit et nihilo levius inimico summi opprobrii turpitudinem obiecit. b. dicitur, Catilinam adulterium commisisse cum ea, quae ei postea socrus fuit, et ex eo stupro duxisse uxorem, cum filia eius esset. haec Lucceius quoque Catilinae obicit in orationibus, quas in eum scripsit; nomina harum mulierum nondum inveni.

19. a. quid ego, ut involaveris provinciam, praedicem cuncto populo Romano ⟨re⟩clamante ac resistente? nam ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es. b. praetereo illum nefarium conatum tuum et paene acerbum et luctuosum populo Romano diem, cum Cn. Pisone socio ne quem alium nominem, caedem optimatum facere voluisti.

a. dictum est iam saepius, Catilinam ex praetura Africam obtinuisse et accusante eum repetundarum P. Clodio absolutum esse. b. quos nominat, intelligitis. fuit enim opinio, Catilinam et Cn. Pisonem, adolescentem perditum, coniurasse ad caedem senatus faciendam ante annum quam haec dicta sunt, Cotta et Torquato consulibus, eamque caedem ideo non esse factam, quod prius, quam parati essent, coniuratis signum dedisset Catilina. Piso autem, cum haec dicerentur, perierat: in Hispaniam missus a senatu per honorem legationis, ut a re publica ablegaretur, ibique, dum iniurias provincialibus facit, occisus erat, ut quidam credebant, a Cn. Pompeii clientibus, Pompeio non invito.

20. an oblitus es, te ex me, cum praeturam peteremus, petisse, ut tibi primum locum concederem? quod cum saepius ageres, et impudentius a me contenderes, meministi me tibi respondere, impudenter te facere, qui id a me peteres, quod a te Boculus numquam impetrasset?

diximus iam supra, Sullae ludis, quos hic propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium et alios quosdam nobiles homines agitasse. praeterea Antonius redemptas habebat ab aerario vectigales quadrigas, quam redemptionem senatori habere licet per legem. fuit autem notissimus in circo quadrigarum agitator Boculus.

dicit de malis civibus:

21. qui posteaquam, ⟨quod⟩ illo conati erant Hispaniensi pugiunculo, nervos incidere civium Romanorum non potuerunt, duas uno tempore conantur in rem publicam sicas destringere.

'Hispaniensem pugiunculum' Cn. Pisonem appellat; quem in Hispania occisum esse dixi. duas sicas Catilinam et Antonium appellari manifestum est.

22. hunc vos scitote Licinium gladiatorem iam immisisse † capillum Catilinae iudic. qua Q. ve Curium hominem quaestorium.

Curius hic notissimus fuit aleator, damnatusque postea est. in hunc est hendecasyllabus Calvi elegans:

et talis Curius pereruditus.

huic orationi Ciceronis et Catilina et Antonius contumeliose responderunt, quod solum poterant, invecti in novitatem eius. feruntur quoque orationes nomine illorum editae, non ab ipsis scriptae, sed ab Ciceronis obtrectatoribus, quas nescio an satius sit ignorare. ceterum Cicero consul omnium consensu factus est. Antonius pauculis centuriis Catilinam superavit, cum ei propter patris nomen paulo speciosior manus suffragata esset, quam Catilinae.

IX. ORATIONIS PRO Q. GALLIO.

1. λεπτολογία tale pro Gallio de convivio luxurioso: fit clamor, fit convitium mulierum, fit symphoniae cantus. videbar mihi videre alios intrantes, alios autem exeuntes partim ex vino vacillantes, partim hesterna potatione oscitantes. versabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis: humus erat [immunda] lutulenta vino, coronis languidulis et spinis cooperta piscium. Aquila 23, 12 ed. Halm. cf. Quint. VIII, 3, 66. XI, 3, 165, I. Vict. 436, 22 ed. Halm.

2. M. Tullius — in oratione pro Q. Gallio quid de favore volgi et de imperitis contionatoribus loquatur, attende. D. Hieronymus ad Nepotianum de vita Cler. I, 10 ed. Francof.

3. spurcos dicebant saevissimos, ut Tullius in Gallia⟨na⟩: qui spurce dictum commemorarent in libera civitate. Eugraphius in Terent. Eun. II, 2, 4.

4. persuadendi vis affirmatione (constat), quae interim plus ipsis probationibus valet: an ista inquit Calidio Cicero, si vera essent, sic a te dicerentur? Quint. XI, 3, 155.

5. memini, cum (Calidius) in accusatione sua Q. Gallio crimini dedisset, sibi eum venenum paravisse idque a se esse deprehensum — diceret — me in respondendo — hoc ipsum etiam posuisse pro argumento (eum non veri simile dixisse), quod ille cum pestem capitis sui — manu tenere diceret, tam solute egisset, tam leniter, tam oscitanter: tu istuc, M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres praesertim cum ista eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime soleas, tuum neglegeres? ubi dolor? ubi ardor animi, qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces et querellas solet? nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur; pedis, quod minimum est, nulla supplosio: itaque tantum afuit, ut inflammares nostros animos, somnum isto loco vix tenebamus. Cic. Brut. §. 277.

6. ego te certo scio omnes logos, qui ludis dicti sunt, animadvertisse. Nonius v. logi p. 63.

7. poematorum. Charis. I, p. 141 ed. Keil.

8. propositis quibus responsuri sumus, quaerendum nobis erit an inter se comparata repugnantia sint, ut suis armis conruant, ut Cicero — pro Gallio, ubi accusator ei aversas pecunias obiecit; ibi enim dum singula inter se comparat, alterum altero Tullius diluit. I. Severianus ed. Halm. 360, 29.

9. Q. Gallium, quem postea reum ambitus defendit, significare videtur. Ascon. ad VIII, 12.

X. ORATIONIS PRO L. OTHONE.

cf. Cic. ep. ad Att. II, 1, 3. Plin. H. N. VII, 31, 116.

XI. ORATIONIS DE PROSCRIPTORUM LIBERIS.

1. mollienda est in plerisque alio colore asperitas orationis, ut Cicero de proscriptorum liberis fecit. quid enim crudelius quam homines honestis parentibus ac maioribus natos a re publica summoveri? itaque durum id esse summus ille tractandorum animorum artifex confitetur, sed ita legibus Sullae cohaerere statum civitatis affirmat, ut his solutis stare ipsa non possit. assecutus itaque est, ut aliquid eorum quoque causa videretur facere, contra quos diceret. Quint. XI, 1, 85.

XII. ORATIONIS CONTRA CONTIONEM Q. METELLI.

1. utemur etiam principiis in bonae opinionis controversiis (h. e. ἐνδόξοις), sed brevioribus et erectioribus paulo et confidentibus — sine iactantia dumtaxat, ne res pariat invidiam, ut est illud apud M. Tullium contra contionem Metelli, in qua exultare videtur contra tribunum pl.: ubivis vel in ipsa consistere? sic enim, ut opinor, insequar fugientem, quoniam congredi non licet cum resistente. quod numquam profecto tam magnifice dicere in exordio statim orsus

esset, nisi et ipsius actoris esset honesta persona, et res, de qua locuturus erat, non improba. Augustinus 149, 15. ed. Halm.

2. permulsa atque recreata est. Prisc. IX, 9, 51.

3. nisi eorum exitio non requieturam. Prisc. X, 3, 18.

4. contionem autem tria significare, locum et verba, suggestumque unde verba fierent, sicut M. Tullius in oratione, quae scripta est contra contionem Q. Metelli, escendi inquit in contionem: concursus est populi factus. Gellius XVIII, 7.

5. illa — apud Ciceronem mira figurarum mixtura deprehenditur, in qua et primo verbo longo post intervallo redditum est ultimum et media primis et mediis ultima congruunt: vestrum iam hic factum reprehenditur, patres conscripti, non meum; ac pulcherrimum quidem factum, verum, ut dixi, non meum sed vestrum. Quint. IX, 3, 40 cf. Isid. II, 21, 8 et Anecd. Eckst. p. 15. (ubi legitur reprehendo.)

6. sensus quoque toti, quemadmodum coeperunt, desinunt: venit ex Asia. hoc ipsum quam novum! tribunus pl. venit ex Asia. in eadem tamen periodo et verbum ultimum primo refertur, tertium iam in sermone; adiectum est enim: verumtamen venit. ib. 43.

7. aliquando, sicut in geminatione verborum diximus, initia quoque et clausulae sententiarum aliis, sed non alio tendentibus verbis inter se consonant; initia hoc modo: dediderim periculis omnibus, obtulerim insidiis, obiecerim invidiae. rursus clausulae; ibidem statim: vos enim statuistis, vos sententiam dixistis, vos iudicastis. ib. 45.

8. inveni, qui et hoc πλοκὴν vocaret: quaero ab inimicis, sintne haec investigata, comperta, patefacta, sublata, deleta, exstincta per me. cui non assentior, cum sint unius figurae et mixtae quoque, et idem et diversum significantia, quod et ipsum διαλλαγὴν vocant: investigata, comperta, patefacta aliud ostendunt; sublata, deleta, exstincta sunt inter se similia, sed non etiam prioribus. Quint. IX, 3, 49.

9. et hoc autem exemplum et superius aliam quoque efficiunt figuram, quae, quia coniunctionibus caret, dissolutio vocatur; —utimur hac figura non in singulis modo verbis, sed sententiis etiam, ut Cicero dicit contra contionem Metelli: qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci iussi, in senatu sunt positi ... et totus hic locus talis est. Quint. IX, 3, 50.

10. haec inferior (definitio) oratoriis actionibus dilatatur et magis descriptionibus [et eiusmodi definitionibus] explicatur, quae ex pluribus speciebus rem notent, ut M. Tullius contra contionem Q. Metelli: qui animum hostilem habet et cuius facta hostilia sunt. C. Iul. Victor. 398, 9.

11. imitandus sit Tullius, cum parcere vel laedere potuisset, ut ipse affirmat, ignoscendi quaerens causas, non puniendi occasiones, quod iudicis lenti et considerati est proprium. Ammian. Marcell. XIX, 12.

XIII. ORATIONIS IN P. CLODIUM ET C. CURIONEM.

ARGUMENTUM SCHOLIASTAE BOBIENSIS.

apud Graecos huius modi genera orationum ἐπαινοῦντα καὶ ψέγοντα nominantur, continentia ferme laudes et vituperationes. non enim rei postulantur a Tullio vel C. Curio vel P. Clodius, sed quoniam habuerant in senatu quandam iurgiosam decertationem, visum Ciceroni est hanc orationem conscribere plenam sine dubio et asperitatis et facetiarum, quibus mores utriusque proscindit et de singulorum vitiis quam potest acerbissime loquitur. sed enim principium huius offensae fertur a P. Clodii reatu descendisse; nam visus est in domo pontificis maximi C. Caesaris eiusdemque praetoris incestum fecisse cum eius uxore Pompeia, cum eo tempore per Vestales virgines et matronas honestissimas in operto Bonae deae sacrificium viris omnibus inaccessum fiebat; unde elapso tamen Clodio magna invidia percrebruit et infamia caerimoniarum, ut senatus decernere cogeretur omni diligentia consulum pervestigandum, si quod esset publicis religionibus illatum flagitium. accedebat huc etiam praeiudicium quoddam C. Caesaris ipsius pontificis, qui uxorem suam illico repudiarit; post quod reus de incesto factus est P. Clodius accusante L. Lentulo, defendente C. Curione patre. nam tres illis temporibus Curiones illustri nomine exstiterunt atque ita in libris adhuc feruntur: Curio avus, qui Servium Fulvium incesti reum defendit, et hic C. Curio pater, qui P. Clodio adfuit, et tertius ille Curio tribunicius, qui bello civili Pompeiano in Africa periit; qui cum esset partium Caesaris, oppressus est ab equitibus Iubae regis. sed hactenus de Curionibus dictum sit. multum denique habitis concertationibus ante iudicium P. Clodius a turbulenta multitudine, ne causam diceret, non sine impetu seditionis adiutus est, auctore huius conspirationis Q. Fufio Caleno tribuno pl., cuius mentionem creberrimam Tullius in Philippicis orationibus facit; obstante vero paene universo senatu pro sanctimonia religionum adversus crimen incesti, iudices tamen ad extremum dati sunt. et primo quidem ab senatu praesidium petiverant, ut de Clodio potentissimo homine liberius iudicaretur; verum ita res cecidit, ut in eum multi grave testimonium dicerent, quorum in numero M. ipse Tullius interrogatus ait ad se salutatum venisse ipsa die Clodium, qua se ille contenderat Interamnae fuisse milibus passuum ferme LXXXX ab urbe disiunctum, quo scilicet videri volebat incesti Romae committendi facultatem non habuisse. et post haec ab iudicibus XXV damnatus est; praevaluit tamen ad eius victoriam maior eorum numerus, qui absolverunt; nam XXX et una pro eo sententiae latae sunt. inde igitur capitalis inimicus in M. Tullium coepit efferri et, cum illo anno potestate quaestoria fungeretur, apud populum creberrimis eum contionibus lacessebat; minas quin immo praetendens, ad familiam se plebeiam transiturum, ut tribunus pl. fieret, denuntiabat: quibus minacissimis illius vocibus vehementer et acerrimo spiritu hac oratione Cicero respondit † duorum, tam ipsius quam Curionis.

I. 1—4. statueram, patres conscripti, quoad reus esset P. Clodius, nihil de illo neque apud vos, neque alio ullo in loco dicere. ⟨tametsi capitale mihi odium minis⟩ ac furiosis contionibus indixerat, quod simul ab eo mihi et rei publicae denuntiabatur, tamen ⟨neque dixi quicquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum atque testatum, ut non possem praeterire et facile patiebar⟩ nihil me addere ad alterius periculum.

5. sin esset iudicatum non videri virum venisse, quo iste venisset ...

6. ut illo ⟨e⟩ iudicio tamquam e naufragio nudus emersit.

II. 1. infinita est — rerum comparatio — ex faciliore in Clodium et Curionem ac vide, an facile fieri tu potueris, cum is factus non sit, cui tu concessisti ... Quint. V, 10, 92.

2. Syriam sibi nos extra ordinem polliceri.

3. creditoribus suis spem ostentare provinciae videretur.

4. augent magnum quendam cumulum aeris alieni.

5. ingemuit gravius timidior quidam creditor.

6. confirmat se comitiis consularibus Romae futurum.

7. tanto prius ad aerarium venit, ut ibi ne scribam quidem quemquam offenderet.

III. 1. tertium est genus (εἰρωνείας), in quo sola melius dicendi petitur occasio; ideoque id Cicero non putat esse positum in contentione. tale est illud, quo idem utitur in Clodium: quibus iste, qui omnia sacrificia nosset, facile ab se deos placari posse arbitrabatur. Quint. IX, 2, 96.

2, 3. cum se ad plebem transire velle diceret, sed misere fretum transire cuperet, hanc loquacem Siciliam non despexit.

4. accesserunt ita pauci, ut eum non ad contionem sed sponsum diceres advocasse.

5. cuius satisdationes semper dicuntur induci.

6. intellego quam in absentem esse dicenda.

IIII. 1. primum homo durus ac priscus invectus est in eos, qui mense Aprili apud Baias essent et aquis calidis uterentur. quid cum hoc homine nobis tam tristi ac severo?

2. non possunt hi mores ferre hunc tam austerum et tam vehementem magistrum, per quem hominibus maioribus natu ne in suis quidem praediis inpune tum, cum Romae nihil agitur, liceat esse valetudinique servire. verum tamen ceteris ... sit ignoscere, ⟨ei⟩ vero ⟨qui praedium habeat⟩ in illo loco, nullo modo. quid homini, inquit, Arpinati cum Baiis, agresti ac rustico?

3. quo loco ita fuit caecus, ut facile appareret vidisse eum, quod fas non fuisset: 4. nec enim respexit illum ipsum patronum lubidinis suae non modo apud Baias esse, verum eas ipsas aquas habere, quae † gustu tamen Arpinatis fuissent. sed videte metuendam inimici et hostis bilem et licentiam! is me dixit aedificare, ubi nihil habeo, ⟨ubi habeo⟩, ibi fuisse. qu⟨omodo⟩ enim non ⟨mirer⟩ sapientem adversarium, qui id obiciat, quod vel honeste confiteri vel manifesto redarguere possis?

V. 1. nam rusticos ei nos videri minus est mirandum, qui manicatam tunicam et mitram et purpureas fascias habere non possumus. tu vero festivus, tu elegans, tu solus urbanus; quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriae, qui effeminare voltum, adtenuare vocem, laevare corpus potes. o singulare prodigium atque monstrum! nonne te huius templi, non urbis, non vitae, non lucis pudet? 2. tu, qui indutus muliebri veste fueris, virilem vocem audes emittere, cuius inportunam lubidinem et stuprum cum scelere coniunctum ne subornandi quidem mora retardavit?

3. tunc cum vincirentur pedes fasciis, cum calautica capiti adcommodaretur, cum vix manicatam tunicam in lacertos induceres, cum strophio adcurate praecingerere, in tam longo spatio numquam te Appii Claudi nepotem esse recordatus es? nonne etiamsi omnem mentem lubido averterat, tamen ex * * *.

4. sed credo, postquam speculum tibi adlatum est, longe te a pulchris abesse sensisti.

VI. 1. at sum, inquit, absolutus. novo quidem hercle more, cui uni absoluto lites aestimatae sunt * *

2. quasi ego non contentus sim, quod mihi quinque et viginti iudices crediderunt; ⟨XXXI tibi nihil crediderunt⟩, qui sequestres abs te locupletes acceperint ⟨manifesti periuri⟩.

3. divortium pontificis maximi * *

VII. 1. integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita ante acta servavit.

2. quattuor tibi sententias solas ad perniciem defuisse.

3. nam L. quidem Cotta * * *

4. ut posthac lege Aurelia iudex esse non possit.

VIII. Clodium praesentem fregi in senatu cum oratione perpetua plenissima gravitatis, tum altercatione — rogatus ego sententiam multa dixi de summa re publica, atque ille locus inductus a me est divinitus, ne una plaga accepta patres conscripti conciderent, ne deficerent; volnus esse eius modi, quod mihi nec dissimulandum nec pertimescendum videretur; ne aut ignorando stultissimi aut metuendo ignavissimi iudicaremur: bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam; hunc tertium iam esse a iudicibus in rem publicam immissum. erras, Clodi; non te iudices urbi, sed carceri reservarunt, neque te retinere in civitate, sed exsilio privare voluerunt. quam ob rem, patres conscripti, erigite animos, retinete vestram dignitatem. manet illa in re publica bonorum consensio; dolor accessit bonis viris, virtus non est imminuta; nihil est damni factum novi, sed, quod erat, inventum est: in unius hominis perditi iudicio plures similes reperti sunt. Cic. ad Atticum I, 16, 8. 9.

XIV. ORATIONIS PRO C. ANTONIO.

ὕποπτος — *ὁ Κικέρων τῷ τε Καίσαρι καὶ τῷ Πομπηΐῳ γενόμενος ἐβεβαιώσατο τὴν ὑπόνοιαν ἐν τῇ ὑπὲρ τοῦ Ἀντωνίου ἀπολογίᾳ. — ὑπὲρ αὐτοῦ τότε, ἅτε καὶ συνάρχοντός οἱ ὑπερδικῶν πλεῖστα κατὰ τοῦ Καίσαρος ὡς καὶ αἰτίου τῆς δίκης αὐτῷ γεγενημένου, καταδρομὴν ἐποιήσατο καί τινα αὐτῷ καὶ προσελοιδόρησεν.* Cass. Dio XXXVIII, 10.

XV. INTERROGATIONIS DE AERE ALIENO MILONIS.

ARGUMENTUM SCHOLIASTAE BOBIENSIS.

in eundem annum consulatum petierunt T. Annius Milo et Q. Metellus Scipio et Hypsaeus; quo anno etiam P. Clodius Pulcher, inimicus eius, in praeturae candidam venerat. idem cum petitioni Milonis adversaretur et comitia multo et vario ambitus genere turbaret, quo magis Hypsaeus et Scipio consules designarentur, Milo autem repulsam ferret, per hos dies senatus convocatus est: apud quem P. Clodius invectionem sibi non tantum contra Milonem, verum etiam contra ipsum M. Tullium contumeliosam atque asperam depoposcit, ut ambitum moveri ab eo diceret, quoniam multis erga rem publicam meritis praevaleret; vim moliri etiam per armatos homines criminaretur; ad extremum longe minus, quam haberet, aeris alieni esse professum: nam sestertium sexagies in aere alieno se habere professus Milo secundum veterem consuetudinem fuerat. cum igitur obnixe contenderet Clodius non oportere petere, qui magno aere alieno defeneratus praedae videretur habiturus esse rem publicam, contradixit eius insectationi M. Cicero, qui familiaritate praecipua Milonem diligebat ob id maxime meritum, quod restitutionem suae dignitatis ab eodem tribuno plebis meminerat adiutam; quanto autem odio habuerit P. Clodium iam compertum est ex orationibus illius plurimis, quibus eius vitam moresque dilacerat. ex iurgio itaque, quod inter se moverant, oratio ista composita est, cuius inscriptionis titulum, priusquam commentari adgrediar, explanandum puto, non ab re existimans futurum [nostris] lectoribus, si orationis titulum non indocte perspexerint: quippe inscribitur INTERROGATIO DE AERE ALIENO MILONIS. *interrogationis autem non una species erat, sed varia, ut alia significaret accusationis denuntiationem, qualis illa praescriptio est orationis eius, qua us? s fuit in eum P. Clodius, cum legibus interrogasset. legibus enim sic interrogabatur, inquirente accusatore, an omnia secundum legum praescripta gesserit is, cui crimen intendebatur. erat alia praeterea interrogatio testium, sicut ipse M. Tullius P. Vatinium testem interrogavit; proprie namque interrogatio dicebatur, qua testes redarguebantur. tertia haec est interrogandi species, ut Sinnio Capitoni videtur, pertinens ad officium et consuetudinem senatoriam: quando enim aliquis sententiam loco suo iam dixerat et alius postea interrogatus quaedam videbatur ita locutus, ut refutari posse iustissime viderentur, postulabat ille, qui iam sententiam dixerat, ut sibi liceret interrogare, hoc est, illum redarguere, cuius sententia in multis quasi mendax et calumniosa redargui posset. quoniam ergo dixerat Clodius et minus professum aeris alieni Milonem* ***

I. 1. ** adversarii.

2—4. eiciundus est ex urbe civis auctor et custos salutis, oti, dignitatis fidei; includendus intra parietes, qui populi

Romani imperium non terrarum regionibus, sed caeli partibus terminavit.

II. 1. nec vero tum timendum fuit, cum cessimus.

2. eosdem ad caedem civium de Apennino deduxisti.

3. lapidibus duo consules ceciderunt.

4. qui multis inspectantibus caput feriebas, femina plangebas.

5. * ber animose confidens.

6. non pudet? sed quid pudeat hominem non modo sine rubore, verum omnino sine ore?

7. sic enim homines egentes et turbarum cupidi loquebantur: o virum † usuum!

8. male dicere autem? immo vero domo principem vi et metu continere.

III. 1. ut quas haberet in vestibulo tabulas refigeret.

2. etenim tria, ut opinor, haec in Milonis personam questus es: de aere alieno, de vi, de ambitu. duo praeteristi: nihil de religionibus violatis, nihil de incestis stupris questus es.

3. est enim, quocumque venit et reorum crimen et iudicum.

4. * tuamque praeturam non tuo more differas.

IIII. 1, 2. nec suffragia dabis, quibus ostentas, nec vero illam nefariam libertatem.

3. quis non meminerit pueritiam tuam?

4. iterum a piratis redemptum. quo enim nomine appellem eos, qui te pretio accepto liberaverunt?

V. 1. nisi vero liniamentis hominis nomen et figuris positum, non naturis putas.

2. tum habuisti quasdam formidines, ⟨quae⟩ quasi cornua quaedam exciderunt impleta.

3. non enim viderunt, quos ipsi exturbarant, eos in civitatem restitutos.

4. qui armis cessissem vel tuis urbanis, vel, ut opinio tum erat, alienis.

5. ne quis existimaret quasi bonum virum iudicatum a Pompeio ⟨eum⟩, cum quo exercere desierit simultates; invigilavit Tullius ut virum cautissimum diceret. Schol. in or. de aere alieno Milonis ed. Mai. p. 42.

XVI. ORATIONIS DE REGE ALEXANDRINO.

I. 1. ut rapiat, ut latrocinetur.

2. si hercle in nostris rebus tam acres ad pecunias, tam adtenti, tam avari soleremus esse.

II. 1, 2. sed tamen, quae sunt nostra iudicia, debent esse modestissima, quoniam quidem est hoc summi imperii, nosmet ipsos de nostris rebus iudicare.

3. qui ex hereditate tanta unum solum nomen agnoverimus.

III. 1. sic est iusta causa belli, sicuti Crassus commemoravit cum Iugurtha fuisse.

2. non patiar hanc exaudiri vocem huius inperi: ego te, nisi das aliquid, hostem, si quid dederis, regem et socium et amicum iudicabo.

3, 4. cum ille rex sit interfectus, hunc puerum in Syria fuisse; atque illud etiam constare video, regem illum, cum reginam sororem suam, caram acceptamque populo, manibus suis trucidasset, interfectum esse inpetu multitudinis.

5. ἀντεισαγωγή, compensatio. est autem huiusmodi, ubi aliquid difficile et contrarium confitendum est, sed contra inducitur non minus firmum; qualia sunt haec de rege Ptolomaeo apud Ciceronem: difficilis ratio belli gerendi, at plena fidei, plena pietatis. et si dicas magnus labor, multa pericula proponuntur: at gloria ex his immortalis est consecutura. Aquila 26, 14 ed. Halm., Martian. Capella 478, 23. ib.

6. omnis partitio aut nostra (est), quae προηγουμένη διαίρεσις dicitur, aut adversarii, quae ἀναγκαία δ. nominatur, aut communis, quae μικτή potest dici, ut Cicero de rege Alexandrino. Fortunatianus 115, 1 ed. Halm.

7. in hypophoris quae cavenda sunt? ne plenae et copiose ponantur: quod tamen aliquando facimus duabus de causis aut inridendi adversarii gratia, si hoc augeat, de quo nulla quaestio est, ut pro Cornelio maiestatis, aut si discrepans aliquid ostendamus, ut de rege Alexandrino. ib. 117, 33 ed. Halm.

8. *τῆς Αἰγύπτου δὲ τὰς προσόδους ἔν τινι λόγῳ Κικέρων φράζει, φήσας κατ᾽ ἐνιαυτὸν τῷ τῆς Κλεοπάτρας πατρὶ τῷ αὐλητῇ προσφέρεσθαι φόρον ταλάντων μυρίων καὶ δισχιλίων πεντακοσίων.* Strabo XVII, 13. p. 798 ed. Cas.

XVII. ORATIONIS PRO P. VATINIO.

1. cum Vatinium defenderem dixi me facere quiddam, quod in Eunucho parasitus suaderet militi 'ubi nominabit—eam mordeat' (Ter. Eun. III, 1, 50 sqq.), sic petivi a iudicibus, ut, quoniam quidam nobiles homines et de me optime meriti nimis amarent inimicum meum meque inspectante saepe eum in senatu modo severe seducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur, quoniamque illi haberent suum Publium, darent mihi ipsi alium Publium, in quo possem illorum animos mediocriter lacessitus leviter repungere. Cic. ad Fam. I, 9, 19.

2. hoc ipsum plenissime purgavit atque defendit et non sine laude probavit in ea oratione, quam pro ipso Vatinio scribere adgressus est.

Schol. Bobiensis ad interrog. in Vatinium §. 14. 'tu qui te Pythagoreum soles dicere.'

3. lege pro Vatinio oratiunculam, et alias, ubi sodaliciorum mentio fit. Hieronym. adv. Rufin. III. p. 469. ed. Bened.

XVIII. ORATIONIS PRO M. AEMILIO SCAURO.

cf. vol. V, p. 207 sqq.

XIX. ORATIONIS IN A. GABINIUM.

1. fibrae cincinnorum madentes. Servius ad V. Georg. I, 120 videtur in Pisonem §. 25 citare.

2. Gallienus, cum Theodoto vellet imperium proconsulare decernere, a sacerdotibus est prohibitus, qui dixerunt fasces consulares ingredi Alexandriam non licere: cuius rei etiam Ciceronem, cum contra Gabinium loquitur, meminisse satis novimus. Trebellius Pollio XXX. tyranni §. 21.

XX. ORATIONIS PRO T. ANNIO MILONE.

1. quaedam ex occasione vel ex necessitate ducimus, si quid nobis agentibus novi accidit, interpellatio, interventus alicuius, tumultus. unde Ciceroni quoque in prooemio, cum diceret pro Milone, degredi fuit necesse, ut ⟨ex⟩ ipsa oratiuncula, qua usus est, patet. Quint. IV, 3, 17.

2. verba olim priori Milonianae tributa ab Orellio leguntur in hac ed. vol. V. p. 243.

C. FRAGMENTA EX ORATIONIBUS INCERTIS.

1, 2, 3. apud Orellium p. 1055. 1) Milonianam spectat, 2) Marcellianam, 3) verisimiliter ad or. adversus contionem Metelli refertur. cf. supra B XII, 11.

4. *παρονομασίας* exemplum: at huius sceleratissimi opera, qui fuit lucus religiosissimus, nunc erit locus desertissimus: nimirum quoniam traditam sibi publicorum custodiam sacrorum non honori, sed oneri esse existimavit. Rutilius Lupus 4, 31 ed. Halm. contractius Charisius IV. p. 282 ed. Keil: paronomasia est cum dictio iteratur, mutata tamen aut littera aut syllaba, ut apud Ciceronem: qui fuit lucus religiosissimus, nunc erit locus desertissimus et custodire sacrum non honoris, sed oneris esse existimabitur; unde repetitur locus a Diomede II, 446 ed. Keil. qui addit si non praetorem te, sed praedonem creavimus.

5. mire in causis valet praesumptio, — cum id, quod obiici potest, occupamus — verborum quoque vis ac proprietas confirmatur — praesumptione: quamquam illa non poena, sed prohibitio sceleris fuit. Quint. IX, 2, 18. *ἀφορισμοῦ* s. *διορισμοῦ* exemplum idem est apud I. Rufinianum 42, 30.

6. hoc — paene et ipsum scurrile Ciceronis in — Isauricum: miror, quid sit, quod pater tuus, homo constantissimus, te nobis varium reliquit. Quint. VI, 3, 48.

7. in iisdem sententiis crebrioribus mutata declinationibus iteratione verborum (fit πλοκή) ut — apud Ciceronem neque enim poterant iudicio et hi damnari, qui iudicabant. Quint. IX, 3, 42.

8, 9, 10. quaedam genera huius figurae (εἰρωνείας) nullam cum tropis habent societatem, ut illa quae dicitur a negando, quam nonnulli ἀντίφρασιν vocant mitto illam primam libidinis iniuriam. et ne illa quidem testimonia recito, quae dicta sunt de HS. septingentis milibus et possum dicere. Quint. IX, 2, 47.

11, 12. sunt et illa iucunda et ad commendationem cum varietate tum etiam ipsa natura plurimum prosunt, quae simplicem quandam et non praeparatam ostendendo orationem minus nos suspectos iudici faciunt — cum quaerere nos, quid dicamus, fingimus: quid relicuum est? et numquid omisi? et cum ibidem invenire, ut ait Cicero: unum etiam mihi relicuum huius modi crimen est et aliud ex alio succurrit mihi. Quint. IX, 2, 60.

13. namque cum fit, ut Demosthenis severa videatur compositio: πρῶτον μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις — Ciceronem carpant in his familiaris coeperat esse balneatori et non nimium dura archipiratae; nam balneatori et archipiratae idem finis est qui πᾶσι καὶ πάσαις. Quint. IX, 4, 64.

14. ex eis, quae supra probavi, apparet, molosson quoque clausulae convenire, dum habeat ex quocunque pede ante se brevem: illud scimus, ubicunque sunt, esse pro nobis. Quint. IX, 4, 100.

15. προδιόρθωσις, praecedens correctio. haec figura, ubi aliquid necessarium dictu, sed insuave audientibus aut odiosum nobis dicturi sumus, praemunit exemplum apud Ciceronem frequens: quamquam sentio, quanta hoc cum offensione dicturus sim, dicendum est. Aquila 23, 10 ed. Halm.

16. χαριεντισμὸς sive σκῶμμα. hac figura fit festiva dictio, cum amoenitate mordax, ut apud Ciceronem: infirmo corpore atque aegro, colore ut ipsi iudicare potestis, u. I. Rufinianus 39, 12 ed. Halm.

17. habet usum — allegoriae frequenter oratio, sed raro totius, plerumque apertis permixta est: tota apud Ciceronem talis est: hoc miror, hoc queror, quemquam hominem ita pessum dare alterum velle, ut etiam navem perforet, in qua ipse naviget. (eximatur locus ex or. pro M. Aemilio Scauro §. 45. ed. nostrae). Quint. VIII, 6, 47.

18. provincias inter se partiverant. Pompeius p. 310. cf. Valerius Probus p. 1483 Putsch.

19. deflexit de proposito. Cic. Philipp. XVI. Laterensis ne vestigium quidem deflexit. Arusianus 225. Lind.

20. disceptata lis est. Cic. Philipp. XVI. non est illa dissensio disceptata bello. ib.

21. tu scelerate, qui subactus et prostitutus es. Isidor. in Differentiarum libro N. 771. ed. du Breul.

22. *ἀντίθετον*, compositum ex contrariis. haec figura constat ex eo, quod verba pugnantia inter se, paria paribus opponuntur; cuius modi brevissimum est illud Ciceronis: domus tibi deerat? at habebas. pecunia supererat? at egebas. aut si dicas in pace ad vexandos cives acerrimus, in bello ad expugnandos hostes inertissimus. Aquila 30, 1 ed. Halm. ad prius exemplum cf. Cic. Or. 223, quem locum ex Scauriana petitum esse non satis liquet.

23. *πλοκή*, copulatio. ea figura elocutionis, in qua idem verbum aut nomen bis continuo positum diversa significat, ut est illud sed tamen ad illum diem Memmius erat Memmius. Aquila 31, 8 ed. Halm.

24. *ὑπεξαίρεσις* est Latine exceptio, quando aliquid a generali complexione distinguimus, qualis est illa exceptio Ciceronis: minus me commovit hominis summa auctoritas in hoc uno genere dumtaxat, nam in ceteris egregie commovit. Anecd. Eckstein. 73, 12 ed. Halm.

25. quotienscunque — specialiter aliquid volumus includere, his tribus includimus: suo, proprio, certo, ut Tullius: suis eum certis propriisque criminibus accusabo.

26. sequuntur signa — quaestiones, ut est: cum igitur de furto quaereretur et de eo furto, quod ille sine controversia fecerat, cum ille de eo, quod quaerebatur, verbum nullum fecisset, de veneno statim dixit. I. Severianus 362 ed. Halm.

27. moralis argumentatio de natura hominum vel morum consuetudine ducitur, ut Cicero: hic ego dubitem in eam disputationem ingredi, quae ducatur ex natura hominum atque omnium sensibus? I. Severianus 365, 15 ed. Halm.

28. a modo in fine (argumentum ducitur), ut Marcus Tullius dolum circa servos Publii Fabii definivit ex eo quod insidiati sint; et idem non esse detrectationem circa † pacem, cum non clam nec furtim profectus sit, sed palam. I. Severianus 397, 9 ed. Halm.

29. nam illam orationem quis est qui non legerit, in qua populum Romanum (Cicero) obiurgat, quod Roscio gestum agente tumultuarit. Macrob. Sat. III, 14.

30. huc pertinet, ut — si (accusator) acri et vehementi fuerit usus oratione, eandem rem nostris verbis mitioribus proferamus, ut Cicero de Cornelio: codicem attigit et protinus cum quadam defensione, ut si pro luxurioso dicendum sit: obiecta est paulo liberalior vita. Quint. V, 13, 26.

31. ab eventu in fine, ut Marcus Tullius Cicero: si iudicaveritis sine dolo malo posse familiam congregari, hominem occidi, omnibus facinorosis eandem licentiam permiseritis. I. Victor. 402, 20 ed. Halm. (cf. vol. IV, p. XII ed. nostrae.)

32. M. Tullius Philippicarum lib. XIIII: titubare, haesitare, quo se vertere⟨t⟩, nescire. Nonius v. titubare 182, 8.

33. M. Tullius in Philippicis lib. IIII: quid? hoc S. C. facit clam te ex urbe proieceris? ib. v. proiectum 373, 29.

D. TITULI ORATIONUM DEPERDITARUM.

I. II. PRO ACILIO, capitis reo, duas orationes habuit Cic. (ad Fam. VII. 30.)

III. PRO C. ANTONIO, collega Ciceronis in consulatu. (v. pro dom. c. 16. §. 41. Dionem Cass. XXXVIII. 10.)

IV. PRO MULIERE ARRETINA. (pro Caecina c. 33. §. 97.)

V. PRO P. ASCITIO. (pro Caelio c. 10. §. 24.)

VI. PRO L. ATRATINO. (pro Caelio c. 1.)

VII. in senatu de consulatu suo u. c. 693. Orator. §. 62. ad Att. I, 14.

VIII. PRO BESTIA, ambitus reo, a. d. III. Idus Febr. anni 698. p. u. c. (ad Q. Fratr. II. 3. adde Philipp. XI. 5.)

IX. PRO CANINIO GALLO, a. 699. p. u. c. (ad Fam. VII. 1.)

X. PRO M. CISPIO. (pro Planc. c. 31.)

XI. PRO L. CORVINO. haec oratio biennio ante M. Ciceronis consulatum habita est. (Q. Cic. de petit. cons. c. 5.)

XII. PRO CRASSO dixit in senatu, a. 700. p. u. c. (ad Fam. I. 9. §. 7.)

XIII. XIV. PRO P. DOLABELLA, capitis reo, a. 704. p. u. c. (ad Fam. III. 10.)

XV. PRO DRUSO, a. 700. p. u. c. (ad Att. IV. 15.)

XVI. PRO MESSIO, a. 700. p. u. c. (ad Att. IV. 15.)

XVII. PRO Q. MUCIO, furti reo. (fragm. orat. in toga candida.)

XVIII. PRO C. MUSTIO. (in Verr. Act. II. lib. I. c. 53. §. 139.)

XIX. PRO SCIPIONE NASICA, ambitus reo, a. p. u. c. 694. (ad Att. II. 1.)

XX. PRO C. ORCHIVIO. (Q. Cic. de pet. cons. c. 5.)

XXI. DE PACE v. περὶ ἀμνηστίας in senatu habita tertio post Caesaris caedem die. (Dio XLIV, 63.)

XXII. PRO C. PISONE. (Cic. pro Flacco c. 39.)

XXIII. PRO POPILLIO LAENATE, a quo Cicero postea Antonii permissu interfectus est. (Val. Max. V. 3, 4.)

XXIV. IN DEPONENDA PROVINCIA. haec oratio una est e consularibus. Ciceroni consuli sortienti Macedonia provincia obtigerat, Antonio collegae Gallia. huius loco Macedoniam Cicero collegae, ut gratum faceret, concessit, et ipsam rursus Galliam postea Metello Celeri. eo tempore dicta est haec oratio. (ad Att. II. 1. §. 2.)

XXV. DE REATINORUM CAUSA contra Interamnates, a. 700. p. u. c. (ad Att. IV. 15.)

XXVI. XXVII. PRO M. SAUFEIO. hunc primum lege Pompeia, mox lege Plautia de vi defendit. (Ascon. in Milon.)

XXVIII. PRO SCAMANDRO. (pro Cluent. c. 17 sqq.)

XXIX. XXX. PRO THERMO, a. 695. p. u. c. (pro Flacco 39. § 98.)

XXXI. PRO TITINNIA. (Brut. c. 60. §. 217.)

XXXII. PRO CAESARE VOPISCO. (Philipp. XI. 5. §. 11.)

XXXIII. LAUDATIO FUNEBRIS filii Serrani Domestici. (ad Q. fratrem III. 8, 5.)

XXXIV. SI EUM P. CLODIUS LEGIBUS INTERROGASSET. (Scholia Bobiensia ad orat. p. red. in sen. p. 248 ed. Baiteri. fuit procul dubio declamatiuncula subditicia. 'ea videtur post mortem eius inventa.')

E. EX COMMENTARIIS CAUSARUM.

Cicero causarum, quas acturus erat, commentarios scribere consueverat (v. de Senect. c. 11. Asconius Bait. p. 87.); quas autem orationes, cum habuisset, maxime probabat, postea emendatas solebat edere, minus probatas in commentariis imperfectas relinquere. NOBBE. Cf. Quintilian. IV, 1, 69 ed. Spalding. t. II. p. 52. Ellendt in Bruto p. XCII.

1. (e libro XIII.) re vendita, iterum empta. (Diomedes I. p. 365.)

2. (ex Commentariis causarum pro Gabinio). ego cum omnes amicitias tuendas semper putavi summa religione et fide, tum eas maxime, quae essent ex inimicitiis revocatae in gratiam, propterea quod integris amicitiis officium praetermissum imprudentiae vel, ut gravius interpretemur, neglegentiae excusatione defenditur; post reditum in gratiam si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur, nec imprudentiae, sed perfidiae assignari solet. (Hieronymus Apol. ad Rufinum lib. I. Opp. t. II. p. 134 ed. Francof. t. IV. p. 351 ed. Bened. T. II. p. 469 ed. Vallars.)

F. FRAGMENTA EPISTOLARUM.

I. AD M. TITINNIUM.

L. Plotius Gallus. de hoc Cicero in epistola ad M. Titinnium sic refert: equidem memoria teneo pueris nobis primum Latine docere coepisse L. Plotium quendam: ad quem cum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere: continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse. Suetonius de rhet. c. 2. Cf. Seneca Controv. II. Praef. p. 134. Quintil. II, 4, 42. Schol. Ambros. ad or. p. Archia §. 20.

II. AD CORNELIUM NEPOTEM LIB. II.

1. Cicero in libro epistolarum ad Cornelium Nepotem secundo sic ait: itaque nostri, cum omnia, quae dixissemus, dicta essent,

quae facete et breviter et acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari dicta voluerunt. Macrobius Saturn. II, 1, 14.

AD EUNDEM EX LIBRO INCERTO.

1. 2. Cicero ad Nepotem hoc restiterat etiam, ut a te fictis adgrederer donis 'adgrederer' passive dixit, ἐπιδορευθῶ. in eodem qui habet, ultro adpetitur; qui est pauper, aspernatur, passive, ἐξουθενεῖται. Priscianus VIII, 4, 17.

3. Cicero ad Cornelium Nepotem de eodem (Caesare) ita scripsit: quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? quis sententiis aut acutior aut crebrior? quis verbis aut ornatior aut elegantior? Suetonius Div. Iul. c. 55.

4. ut Tullius quoque docet crudelitatis increpans Caesarem in quadam ad Nepotem epistola: neque enim quidquam aliud est felicitas nisi honestarum rerum prosperitas vel, ut alio modo definiam, felicitas est fortuna, adiutrix consiliorum bonorum, quibus qui non utitur felix esse nullo pacto potest. ergo in perditis impiisque consiliis, quibus Caesar usus erat, nulla potuit esse felicitas, feliciorque meo iudicio Camillus exsulans quam temporibus isdem Manlius, etiam si, id quod cupierat, regnare potuisset. Ammianus Marcell. XXI, 16, 13.

5. haec quidam veterum formidantes cognitiones actuum variorum stilis uberioribus explicatas non edidere superstites, ut in quadam ad Cornelium Nepotem epistola Tullius quoque testis reverendus adfirmat. Idem XXVI, 1, 2.

III. AD C. CAESAREM EPIST. LIB. I.

1. M. Tullius epistola*rum* ad Caesarem lib. I: tum, cum ea, quae es ab senatu summo cum honore tuo consecutus. Nonius v. consequi p. 270, 15. v. honor p. 319 sq.

2. M. Tullius in epistola ad Caesarem lib. I: Balbum quanti faciam quamque ei me totum dicaverim, ex ipso scies. Idem v. dicare p. 287, 25.

3. Epistola*rum* ad Caesarem lib. I: debes odisse improbitatem eius, quia impudentissimum nomen delegerit. Idem v. improbum p. 327, 5.

quia] *qui* edd. antiq. Nonii.

4. M. Tullius epistolarum ad Caesarem lib. I: ut sciret tuenda maiore cura esse quam parta sunt. Idem v. tueri p. 413, 29.

5. M. Tullius epistola*rum* ad Caesarem lib. I: itaque vereor ne ferociorem *eum* faciant tua tam praeclara iudicia de eo. Idem v. ferox p. 305, 5.

tam praeclara iudicia telo Nonii codd.

6. M. Tullius in epistolis ad Caesarem lib. I: quod sapientes homines ac boni putant. Idem v. putare p. 369, 30.

AD EUNDEM EPIST. LIB. II.

1. monumenti proprietatem a monendo M. Tullius exprimendam putavit ad Caesarem epistola*rum lib.* II: sed ego, quae monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor: ad memoriam magis spectare debet posteritatis quam ad praesentis temporis gratiam. Nonius p. 32, 16.

2. Locandi significatio manifesta est, ut aut operis locandi aut fundi. M. Tullius epistola*rum* ad Caesarem lib. II: vel quod locatio ipsa pretiosa. Idem p. 340, 15.

AD EUNDEM EPIST. LIB. III.

1. dimittere est derelinquere. M. Tullius ad Caesarem lib. III: quae si videres, non te exercitu retinendo tueri, sed eo tradito aut dimisso. Idem p. 286, 12.

te Nipperdey (Philol. III. p. 149.): *de* codd.

2. contemnere et despicere eo distant, quod est despicere gravius quam contemnere. M. Tullius ad Caesarem lib. III: amici non nulli a te contemni et despici ac pro nihilo haberi senatum volunt. Idem p. 436, 22.

AD EUNDEM EX LIBRO INCERTO.

1. consequi, exprimere, definire. M. Tullius ad Caesarem: extrema vero nec quanta nec qualia sint, verbis consequi possum. Idem p. 270, 19.

2. M. Tullius epistolarum ad Caesarem: iam amplitudinem gloriamque tuam magno mihi ornamento esse et fore existimo, quod me levas cura. Idem v. levare p. 336, 22.

IV. FRAGMENTUM EPIST. CAESARIS AD CICERONEM.

Verrius Flaccus, inquit Plinius, eorum nominum, quae NS finiuntur casu nominativo, ablativus in E dirigendus est. itaque Caesar epistularum ad Ciceronem neque inquit pro cauto ac diligente se castris continuit. Charisius I, 21, 66.

V. AD CAESAREM IUNIOREM EPIST. LIB. I.

1. aditus, adventus. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I: et aut ad consules aut ad te aut ad Brutum adissent, his fraudi ne esset, quod cum Antonio fuissent. Nonius p. 238, 2.

2. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I: roga ipsum, quem ad modum ego eum Arimini acceperim. Idem v. accipere p. 239, 22. v. rogare p. 383, 7. cf. Appian. B. C. III, 46.

3. cunctari est dubitare, dissipare. — M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I: sed cito paenituit domumque rediit, ceteri cunctabantur. Idem p. 252, 17.

4. comparare, adaequare. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I: neminem tibi profecto hominem ex omnibus aut anteposuissem umquam aut etiam comparassem. Nonius p. 255 sq.

5. conficere, colligere. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I: in singulas tegulas impositis sescentis sescenties confici posse. Idem p. 268 sq. cf. Dio Cass. XLVI, 31.

6. conficere, consumere, finire. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I: bellum, ut opinio mea fert, consensu civitatis confectum iam haberemus. Nonius p. 269, 16.

7. ducere, trahere, differre. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I: ne res duceretur, fecimus ut Hercules Antianus in alium locum transferretur. Idem p. 283 sq.

8. expedire, colligere. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I: ex ceteris autem generibus tunc pecunia expedietur, cum legionibus victricibus erunt, quae spopondimus, persolvenda. Idem p. 298, 20.

persolvenda] *persoluta* C. L. Roth.

9. involvere, implicare. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I: sed quod viderem nomine pacis bellum involutum fore. Idem p. 328, 19.

10. opinio est fama. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I: erat opinio bona de Planco, bona de Lepido. Idem p. 356, 13.

11. praestare, exhibere. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I: tu si meam fidem praestiteris, quod confido te esse facturum. Idem p. 371, 7.

12. relatum dicitur perlatum, dictum a M. Tullio ad Caesarem iuniorem lib. I: sed haec videbimus, cum legati responsa retulerint. Idem p. 380, 29.

13. spurcum, vehemens, asperum. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I: cum iter facerem † ad hiquiiam Claternam tempestate spurcissima. Idem p. 394, 7.

14. vindicare, revocare. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I: qui si nihil ad id beneficium adderes, quo per te me una cum re publica in libertatem vindicavissem. Idem p. 419, 13.

15. ignoscere et concedere quemadmodum inter se distent, aperit M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I: quod mihi et Philippo vacationem das, bis gaudeo: nam et praeteritis ignoscis et concedis futura. Idem p. 436, 17.

quod mihi] *quo mihi* codd., *quom mihi* Halm.

16. sagum, vestimentum militare. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I: pridie Nonas Februarias cum ad te litteras mane dedissem, descendi ad forum sagatus, cum reliqui consulares togati vellent descendere. Idem p. 538, 20.

sagatus -- *togati* Abeken: *togatus* -- *togati* codd. Nonii, *togatus* -- *sagati* edd. Nonii et Fragmentorum.

AD EUNDEM EPIST. LIB. II.

1. insulsum proprie fatuum, quasi sine sale. M. Tullius ad Caesarem iuniorem Epistolarum secundo: sed ita locutus insulse est, ut mirum senatus convitium exceperit. Nonius p. 33, 13.

Epistolarum secundo] *epistola secunda* codd.

2. ignavum et segne, torpidum, feriatum, et sine igni. M. Tullius ad Caesarem iuniorem II. libro: in quo tua me provocavit oratio, mea consecuta est segnis. Idem p. 33, 18.

3. constat, convenit, manifestum est. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. II: cum constaret Caesarem Lupercis id vectigal dedisse: qui autem poterat id constare? Idem p. 273, 3.

constaret Halm: *constat* et *constet* codd. Nonii.

4. deicere, elidere. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. II: ad statuam nescio cuius Clodi, quam cum restitui iussisset Ancone, cum hero deiectam esse ex senatus consulto. Idem p. 288, 25.

ad statuam nos: *ad est atba* codd. Nonii, *de statua* Mercerus.

5. insolens, impudens et audax dicitur consuetudine. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. II: insolens, arrogans, iactans. Idem p. 322, 11.

6. meret, meretur. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. II: quem perisse ita de re publica merentem consulem doleo. Idem p. 344, 19.

7. secundum, prosperum. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. II: scriptum erat equestre proelium valde secundum, in his autem potius adversum. Idem p. 389, 23.

8. locupletis non magnarum opum tantummodo, sed et ad quamlibet rem firmos et certos M. Tullius dici voluit ad Caesarem iuniorem lib. II: nihil omnino certi, nec locupletem ad hoc auctorem habebamus. Idem p. 462, 10.

9. paludamentum est vestis, quae nunc chlamys dicitur. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. II: Antonius demens ante lucem paludatus. Idem p. 538 sq.

AD EUNDEM EPIST. LIB. III.

1. invehi, adgredi, increpare. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. III: itaque in eam Pansa vehementer est invectus. Nonius p. 329, 26.

2. anticus et antiquior ut gradu, ita et intellectu distant: nam anticum significat vetus, antiquior melior. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. III: ego autem antiquissimum, oriundum Scythis, quibus antiquior laetitia est quam lucrum. Idem p. 426, 12.

AD EUNDEM EX LIBRO INCERTO.

1. opinio, spes, opinatio. M. Tullius ad Caesarem iuniorem:

posthac quod voles a me fieri scribito: vincam opinionem tuam. Nonius p. 356, 22.

2. promittere est polliceri. M. Tullius ad Caesarem iuniorem: promissa tua memoria teneas. Idem p. 362, 24.

VI. AD C. PANSAM EPIST. LIB. I.

1. humaniter. M. Tullius ad Pansam lib. I: de Antiocho fecisti humaniter, quem quidem ego semper dilexi meque ab eo diligi sensi. Nonius p. 509, 17. prius comma exhibet etiam Priscianus XV, 3, 13.

2. inaudire, audire. M. Tullius ad Pansam lib. I: quorum erupit illa vox, de qua ego ex te primum quiddam inaudieram. Nonius p. 126, 18.

AD EUNDEM EPIST. LIB. III.

concalfacere, exercitare vel incendere vel hortari. Cicero ad Pansam lib. III: nos Ventidianis rumoribus calficimur. Nonius p. 92, 18.

AD EUNDEM EX LIBRO INCERTO.

barones dicendum, sicut Cicero ad Pansam. Gramm. inc. de generibus nominum n. 19 ed. Otto.

VII. AD A. HIRTIUM EPIST. LIB. II.

error masculini est generis. - - neutri M. Tullius ad Hirtium lib. II: qua in re si mediocriter lapsus sum, defendes meum tolerabile erratum. Nonius p. 204, 10.

AD EUNDEM EPIST. LIB. V.

impertire est participare et partem dare. M. Tullius ad Hirtium lib. V: et quoniam, ut hoc tempus est, nihil habeo patriae quod impertiam. Idem p. 37, 21.

AD EUNDEM EPIST. LIB. VII.

vetustiscere et vetustascere quid intersit, Nigidius commentator grammaticus lib. X. deplanavit: dicemus, quae vetustate deteriora fiunt, vetustiscere, inveterascere, quae meliora. M. ad Hirtium lib. VII: cum enim nobilitas nihil aliud sit quam cognita virtus, quis in eo, quem *in*veterascentem videat ad gloriam, generis antiquitatem desideret? Idem p. 437, 24.

inveterascentem Halm: *veterascentem* Nonii codd. et edd.

AD EUNDEM EPIST. LIB. IX.

interfici et occidi et inanimalia veteres posse vehementi auctoritate posuerunt. M. Tullius ad Hirtium lib. VIIII: dicis quasi istuc in-

tereat. nescio, nisi tamen erat mihi iucundum † severitus ne qui casum perimeret superioris. Nonius p. 450, 2.

AD EUNDEM EX LIBRO INCERTO.

lutum genere neutro; et apud Ciceronem in epistolis ad Hirtium lectum est plurali numero: luta et limum adgerebant. Idem p. 212, 14. cf. Velium Longum p. 2244. P.: lutum atque macellum singulariter exire memento, licet Memmius 'ista macella' et Caesar 'luta'.

VIII. AD M. BRUTUM EPIST. LIB. I.

ex alto; - - - argumentatione longe repetita. est autem de usu dictum, Cicero primo libro ad Brutum: si Pompeius non ex alto peteret et multis verbis me iam hortaretur. Servius ad Virg. Aen. VIII, 395.

AD EUNDEM EPIST. LIB. VII.

experiri, scire. M. Tullius epistola*rum* ad Brutum lib. VII: his contraria atque parata, ut esse soleat, expertus sum. Nonius p. 296, 8.

parata] *disparata* Orellius. — *ut assolet* Bardili coll. Philipp. II, 82.

AD EUNDEM EPIST. LIB. VIII.

vel pro etiam est. M. Tullius epistola*rum* ad Brutum lib. VIII: et quod te tantum amat, ut *vel* me audeat provocare. Nonius p. 527, 25.

vel om. codd.

AD EUNDEM EPIST. LIB. IX.

inter amare et diligere hoc interest, quod amare vim habet maiorem, diligere autem est levius amare. Cicero ad Brutum: sic igitur -- diliges. et libro VIIII: Lucilius Clodius, tribunus plebis designatus, valde me diligit, vel, ut enfaticoteron dicam, valde me amat. Nonius p. 421, 27. cf. Pseudocic. ad Brutum I, 1, 1.

AD EUNDEM EX LIBRIS INCERTIS.

1. contentus dicitur, cui res etiam parva abunde est. M. Tullius ad Brutum: sic igitur facies et me aut amabis aut, quo contentus sum, diliges. Nonius p. 264, 5. cf. p. 421, 27.

2. aliquando bonis suadentur parum decora, dantur parum bonis consilia, in quibus ipsorum qui consulunt spectatur utilitas. nec me fallit, quae statim cogitatio subire possit legentem: hoc ergo praecipis? et hoc fas putas? poterat me liberare Cicero, qui ita scribit ad Brutum, praepositis plurimis, quae honeste suaderi Caesari possint: simne bonus vir, si haec suadeam? minime; suasoris enim finis est utilitas eius, cui quisque suadet. at recta sunt: quis negat? sed non est semper rectis in suadendo locus. Quintilianus III, 8, 42.

3. argumentum plura significat. nam et fabulae ad actum scenarum compositae argumenta dicuntur et orationum Ciceronis velut thema exponens Pedianus 'argumentum' inquit 'tale est'; et ipse Cicero ad Brutum ita scribit: veritus fortasse ne nos in Catonem nostrum transferremus illim mali quid, etsi argumentum simile non erat. Quintilianus V, 10, 9.

4. recte Cicero his ipsis ad Brutum verbis quadam in epistola scribit: nam eloquentiam, quae admirationem non habet, nullam iudico. Idem VIII, 3, 6.

5. et quae vetera nunc sunt, fuerunt olim nova, et quaedam sunt in usu perquam recentia. favorem et urbanum Cicero nova credit. nam et in epistola ad Brutum eum inquit amorem et eum, ut hoc verbo utar, favorem in consilium advocabo. Idem VIII, 3, 34.

6. maxime in orando valebit numerorum illa libertas; nam et Livius saepe sic dicit 'Romanus proelio victor', cum Romanos vicisse significat, et contra Cicero ad Brutum populo inquit imposuimus et oratores visi sumus, cum de se tantum loqueretur. Idem VIII, 6, 20. cf. §. 55.

7. hanc frequentiorem repetitionem πλοκήν vocant, quae fit ex permixtis figuris, utque se habet epistola ad Brutum: ego cum in gratiam redierim cum Ap. Claudio, et redierim per Cn. Pompeium, et ego ergo cum redierim. Idem IX, 3, 41.

8. quae per detractionem fiunt figurae brevitatis novitatisque maxime gratiam petunt, quarum una est, cum subtractum verbum aliquod satis ex ceteris intellegitur, ut Cicero ad Brutum: sermo nullus scilicet nisi de te; quid enim potius? tum Flavius 'cras' inquit 'tabellarii, et ego ibidem has inter cenam exaravi.' Idem ibid. §. 58.

9. videndum ne syllabae verbi prioris ultimae sint, primae sequentis. id ne quis praecipi miretur, Ciceroni in epistolis excidit: res mihi invisae visae sunt, Brute. Idem IX, 4, 41.

10. quod si ea in quoque animalium est virtus, qua praestat cetera vel pleraque, ut in leone impetus, in equo velocitas, hominem porro ratione atque oratione excellere certum est, cur non tam in eloquentia quam in ratione virtutem eius esse credamus, recteque hoc apud Ciceronem dixerit Crassus 'est enim eloquentia una quaedam de summis virtutibus', et ipse Cicero sua persona cum ad Brutum in epistolis tum aliis etiam locis virtutem eam appellet? Idem II, 20, 9 sq.

11. tres libros (epistolarum Ciceronis excerptarum a Frontone), duos ad Brutum, unum ad Axium, describi iubebis, si quid rei esse videbitur, et remittes mihi; nam exemplares eorum excerptorum nullos feci. Fronto p. 161 ed. Rom.

IX. FRAGMENTA EPIST. BRUTI AD CICERONEM.

[1. composita ab eo (status) varie vetustissimi protulerunt, praesto, praestitum et praestatum. Brutus in epistolis: occiso C. Cae-

sare, postquam mare transierat, praestatum est. Priscianus IX, 7, 38.

2. peius cludit finis hexametri, ut Brutus in epistolis: neque illi malunt habere tutores aut defensores, quamquam sciunt placuisse Catoni. Quintilianus IX, 4, 75.

3. Brutus de dictatura Cn. Pompeii: praestat enim nemini imperare quam alicui servire; sine illo enim vivere honeste licet, cum hoc vivendi nulla condicio est. Quintilianus IX, 3, 95.]

De Bruti ad Ciceronem epistolis cf. Cic. Brut. §. 11 sqq. §. 330.

X. AD M. FILIUM LIB. I.

sunt quaedam verba, quae, quamvis eandem significationem servent, diversae tamen sunt coniugationis in usu, ut excello excellis et excelleo excelles. Cicero in I. epistolarum ad filium: qua re effice et elabora, ut excelleas. Priscianus VIII, 17, 96. cf. X, 6, 36.

AD EUNDEM LIB. II.

commodare, cum commodo dare. M. Tullius ad filium lib. II: cui ego, quibuscumque rebus potero, libentissime commodabo. Nonius p. 275, 16.

AD EUNDEM EX LIBRO INCERTO.

1. deleor, delitus et deletus. Cicero ad filium: ceris delitis. Diomedes p. 372. P. p. 375, 27. K.

2. quam confessus fueris philosophiae veritatem, docent ad filium composita praecepta, quibus mones philosophiae quidem praecepta noscenda, vivendum autem civiliter. Lactantius Inst. III, 14, 17.

3. Cicero per epistolam culpat filium dicens male eum dixisse direxi litteras duas, cum litterae, quotiens epistolam significant, numeri tantum pluralis sint. Servius ad Virg. Aen. VIII, 168.

4. nihil ex grammatica nocuerit nisi quod supervacuum est. an ideo minor est M. Tullius orator, quod idem artis huius (orthographiae) diligentissimus fuit et in filio, ut epistolis apparet, recte loquendi asper quoque exactor. Quintilianus I, 7, 34.

5. ἐπιστολαὶ παρὰ τοῦ Κικέρωνος εἰσὶ πρὸς τὸν υἱόν, ἐγκελευομένου συμφιλοσοφεῖν Κρατίππῳ. Plutarchus Cic. c. 24.

XI. AD C. LICINIUM CALVUM LIB. I.

a deleo deletum, a delino delitum nascitur. Cicero epistularum ad Calvum primo: tuli moleste, quod litterae delitae mihi a te redditae sunt. Priscianus IX, 10, 54. deleor, delitus et deletus. Cicero ad Calvum: delitae litterae. Diomedes p. 376, 1. K.

EX LIBRO INCERTO.

1. nunc ad epistolam venio, cui copiose et suaviter scriptae nihil est quod multa respondeam: primum enim ego illas Calvo litteras misi, non plus quam has, quas nunc legis, existimans exituras; aliter enim scribimus, quod eos solos, quibus mittimus, aliter, quod multos lecturos putamus. deinde ingenium eius melioribus extuli laudibus, quam tu id vere potuisse fieri putas. primum — quod ita iudicabam — acute movebatur; genus quoddam sequebatur, in quo, iudicio lapsus, quo valebat, tamen adsequebatur, quod probarat. multae erant et reconditae litterae; vis non erat: ad eam igitur adhortabar; in excitando autem et in acuendo plurimum valet, si laudes eum, quem cohortere. Cicero C. Trebonio ep. ad famil. XV, 21, 4.

2. auguro. Cicero ad Calvum: praesentit animus et augurat quodam modo, quae futura sit suavitas. Nonius p. 469, 10.

XII. AD Q. AXIUM.

in familiaribus litteris primo brevitas observanda: ipsarum quoque sententiarum ne diu circumferatur, quod Cato ait, ambitio, sed ita recidantur, ut numquam verbi aliquid deesse videatur: unum TE scilicet, quod intellegentia suppleatur, in epistolis Tullianis ad Atticum et Axium frequentissimum est. C. Iulius Victor c. 27. p. 448, 5 ed. Halm.

EX LIBRO I.

1. adit ad illum. Cicero ad Auxium: ad M. Bibulum adierunt. Arusianus Messius p. 211, 21. K.

2. adiuta hoc illos. Cicero ad Auxium I: si tu nos aliquid adiutare potes. Idem p. 213, 29. K.

EX LIBRO II.

humaniter. M. Tullius ad Axium lib. II: invitus litteras tuas scinderem; ita sunt humaniter scriptae. Nonius p. 509, 20.

EX LIBRO INCERTO.

1. de hac (coniuratione) significare videtur et Cicero in quadam ad Axium epistula referens, Caesarem in consulatu confirmasse regnum, de quo aedilis cogitarat. Suetonius Div. Iul. c. 9.

2. quam flebiles voces exprimit (Cicero) in quadam ad Axium epistola iam victo patre Pompeio, adhuc filio in Hispania fracta arma refovente. quid agam inquit hic, quaeris? moror in Tusculano meo semiliber. Seneca de brev. vit. c. 5.

ad Axium Lipsius: *ad Actium* et *ad Atticum* libri.

XIII. AD CATONEM.

plus, sicut in plerisque, quae maioris modi est quam necessarium est; atque ideo M. Tullius maius discrevit epistola ad Catonem: nec idcirco mihi desiderandam esse dignitatem meam, quod eam multi inpugnarint, sed eo magis recolendam, quod plures desiderarint. Nonius p. 438 sq.

XIV. AD CAERELLIAM

1. etiam illud (potest inter ridicula numerari), quod Cicero Caerelliae scripsit reddens rationem, cur illa C. Caesaris tempora tam patienter toleraret: haec aut animo Catonis ferenda sunt aut Ciceronis stomacho; stomachus enim ille habet aliquid ioco simile. Quintilianus VI, 3, 112.

2. meminerint eruditi in praeceptis omnibus (Ciceronis) extare severitatem, in epistolis ad Caerelliam subesse petulantiam. Ausonius in Centonis nuptialis epilogo.

XV. AD HOSTILIUM.

requies accusativo non facit requietem, sed requiem, quamvis Cicero requietem dixerit ad Hostilium. Charisius p. 85 et 114. P. p. 110. 1 et 142, 7. K. cf. Cic. de senect. §. 52. de finn. V, 54.

XVI. EX EPISTOLIS INCERTIS.

1. nec ego illud quidem aposiopesin semper voco, in quo res quaecunque relinquitur intellegenda, ut aeque in epistolis Cicero data Lupercalibus, quo die Antonius Caesari; non enim obticuit aut lusit, quia nihil hic aliud intellegi poterat quam hoc: 'diadema imposuit.' Quintilianus IX, 3, 61.

2. in epistolis Cicero haec Bruti refert verba: ne illi sunt pedes faceti ac deliciis ingredienti mollius. Idem VI, 3, 20.

3. piissimus vituperat Cicero in Philippicis (XIII, 43.); tamen Caper ille magister Augusti Caesaris laboravit vehementissime et de epistolis Ciceronis collegit haec verba, ubi dixerat ipse Cicero piissimus. Pompeius p. 132. Lindem.

4. *καίτοι τινὲς τῶν προσποιουμένων δημοσθενίζειν ἐπιφύονται φωνῇ τοῦ Κικέρωνος, ἣν πρός τινα τῶν ἑταίρων ἔθηκεν ἐν ἐπιστολῇ γράψας, ἐνιαχοῦ τῶν λόγων ἀπονυστάζειν τὸν Δημοσθένη.* Plutarchus in vita Cic. c. 24. et labuntur aliquando (optimi auctores) et oneri cedunt et indulgent ingeniorum suorum voluptati nec semper intendunt animum, non numquam fatigantur, cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus ipse videatur. Quintilianus X, 1, 24.

5. Cicero non contentus in quibusdam epistulis scripsisse, a satellitibus eum (Caesarem) in cubiculum regium eductum in aureo lecto veste purpurea decubuisse floremque aetatis a Venere orti in Bithynia contaminatum, quondam etiam in senatu defendenti ei Nysae causam, filiae Nicomedis, beneficiaque regis in se commemoranti 'Remove' inquit 'istaec, oro te, quando notum est et quid ille tibi et quid illi tute dederis.' Suetonius Div. Iul. c. 49.

6. P. Ventidium Cicero (auctor est) mulionem castrensis furnariae fuisse. Plinius N. H. VII, 135.

7. parum fortis (Cicero) videtur quibusdam, quibus optime respondit ipse, non se timidum in suscipiendis, sed in providendis periculis; quod probavit morte quoque ipsa, quam praestantissimo suscepit animo. Quintilianus XII, 1, 17. cf. Cic. ad famil. VI, 21, 1.

8. *πλοκή*, copulatio, ea figura elocutionis, in qua idem verbum aut nomen, bis continuo positum, diversa significat, ut est illud: sed tamen ad illum diem Memmius erat Memmius. Aquila Rom. §. 28. p. 31, 8 ed. Halm. Martianus Capella de rhet. c. 40. p. 481, 10 ed. Halm. cf. Cic. ad Att. I, 18, 3.

XVII. AD CN. POMPEIUM.

1. hic tu epistulam meam saepe recitas, quam ego ad Cn. Pompeium de meis rebus gestis et de summa re publica misi, et ex ea crimen aliquod in P. Sullam quaeris, et, si furorem incredibilem biennio ante conceptum erupisse in meo consulatu scripsi, me hoc demonstrasse dicis, Sullam in illa fuisse superiore coniuratione. Cicero pro Sulla §. 67.

2. te aiebas de tuis rebus gestis nullas litteras misisse, quod mihi meae, quas ad aliquem misissem, obfuissent: quas ego mihi obfuisse non intellego, rei publicae video prodesse potuisse. Cicero pro Plancio §. 85. significat epistulam non mediocrem ad instar voluminis scriptam, quam Pompeio in Asiam de rebus suis in consulatu gestis miserat Cicero, aliquanto, ut videbatur, insolentius scriptam, ut Pompei stomachum non mediocriter commoveret, quod quadam superbiore iactantia omnibus se gloriosis ducibus anteponeret. obfuerunt autem revera; nam sic effectum est, ut ei Pompeius contra Clodianam vim non patrocinaretur. Schol. Bob. in orat. p. Plancio p. 270 sq. ed. Or.

3. excipit, opprimit vel circumvenit. M. Tullius ad Pompeium lib. IIII: quod si est, non modo iter meum interclusum, sed me ipsum plane exceptum putabat. et rursum: admoniti sumus ut caveremus ne exciperemur a Caesare. Nonius p. 293, 19.

XVIII. EPISTOLARUM ΣΥΝΑΓΩΓΗ.

mearum epistolarum nulla est *συναγωγή*, sed habet Tiro instar septuaginta, et quidem sunt a te quaedam sumendae: eas ego oportet perspiciam, corrigam; tum denique edentur. Cicero ad Att. XVI, 5, 5.

XIX. AD ATTICUM.

1. Vid. supra p. 47. XII. lib. inc. n. 2.

2. vectigaliorum Cicero ad Atticum. Charisius p. 118. P. p. 146, 31. Keil.

3. sed et dativo casu idem Cicero dixit ad Atticum: propius grammatico accessi. Diomedes p. 405. P. p. 410, 8. K. sed hic locus admodum perturbatus est. cf. adn. crit. ad Cic. ad Att. I, 14, 3.

XX. AD GORGIAM AD HERODEM. AD PELOPEM.

ἐπιστολαὶ παρὰ τοῦ Κικέρωνος εἰσὶ πρὸς Ἡρώδην, ἕτεραι δὲ πρὸς τὸν υἱόν. Γοργίαν δὲ τὸν ῥήτορα αἰτιώμενος εἰς ἡδονὰς καὶ πότους προάγειν τὸ μειράκιον ἀπελαύνει τῆς συνουσίας αὐτοῦ. καὶ σχεδὸν αὕτη τε τῶν Ἑλληνικῶν μία καὶ δευτέρα πρὸς Πέλοπα τὸν Βυζάντιον ἐν ὀργῇ τινι γέγραπται, τὸν μὲν Γοργίαν αὐτοῦ προσηκόντως ἐπικόπτοντος, εἴπερ ἦν φαῦλος καὶ ἀκόλαστος, ἥπερ ἐδόκει, πρὸς δὲ τὸν

Πέλοπα μικρολογουμένου, καὶ μεμψιμοιροῦντος, ὥσπερ ἀμελήσαντα τιμάς τινας αὐτῷ καὶ ψηφίσματα παρὰ Βυζαντίων γενέσθαι. Plutarchus Cic. c. 24. cf. de Gorgia Cic. ad famil. XVI, 21, 6. de Herode ad Att. II, 2, 2. XIV, 16, 3. 18, 4. XV, 16. a. de Pelope ad Att. XIV, 8, 1.

[XXI. AD MARCELLUM.

Cicero ad Marcellum simiolum deminutive dixit. Charisius p. 84. P. p. 108, 26. K.]

ad Marcellum] *ad Marium* Fabricius coll. Cic. ad fam. VII, 2, 3.

G. FRAGMENTA DEPERDITORUM LIBRORUM PHILOSOPHORUM.

I. XENOPHONTIS OECONOMICUS.

1. res familiaris quaeri debet iis rebus, a quibus abest turpitudo, conservari autem diligentia et parsimonia, eisdem etiam rebus augeri. has res commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui Oeconomicus inscribitur, quem nos, ista fere aetate cum essemus, qua es tu nunc, e Graeco in Latinum convertimus. Cicero de offic. II, 87.

2. multas ad res perutiles Xenophontis libri sunt, quos legite, quaeso, studiose, ut facitis. quam copiose ab eo agri cultura laudatur in eo libro, qui est de tuenda re familiari, qui Oeconomicus inscribitur. atque ut intellegatis nihil ei tam regale videri quam studium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo, Cyrum minorem, Persarum regem, praestantem ingenio atque imperii gloria, cum Lysander Lacedaemonius, vir summae virtutis, venisset ad eum Sardis eique dona a sociis attulisset, et ceteris in rebus comem erga Lysandrum atque humanum fuisse et ei quendam consaeptum agrum diligenter consitum ostendisse; cum autem admiraretur Lysander et proceritates arborum et derectos in quincuncem ordines et humum subactam atque puram et suavitatem odorum, qui adflarentur ex floribus, tum eum dixisse mirari se non modo diligentiam, sed etiam sollertiam eius, a quo essent illa dimensa atque discripta, et Cyrum respondisse: 'atqui ego ista sum omnia dimensus; mei sunt ordines, mea discriptio, multae etiam istarum arborum mea manu sunt satae.' tum Lysandrum intuentem purpuram eius et nitorem corporis ornatumque Persicum multo auro multisque gemmis dixisse: 'recte vero te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuae fortuna coniuncta est.' Cicero de senect. §. 59. cf. Xenoph. Oecon. c. 4, 20—25.

3. Cicero in Oeconomico: homo ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur, *ἀξιοῦνται*, passive. Priscianus VIII, 4, 19. Xenoph. Oecon. c. 6, 12.

4. Cicero in Oeconomico: quid igitur, pro deum immortalium, primum eam docebas, quaeso? Donatus in Terent. Phorm. 2, 3, 4. Xenoph. Oecon. c. 7, 9.

5. Xenophon Atheniensis eo libro, qui Oeconomicus inscribitur, prodidit maritale coniugium sic comparatum esse natura, ut non solum

iucundissima, verum etiam utilissima vitae societas iniretur: nam primum, quod etiam Cicero ait, ne genus humanum temporis longinquitate occideret, propter hoc marem cum femina esse coniunctum; deinde ut ex hac eadem societate mortalibus adiutoria senectutis nec minus propugnacula praepararentur. tum etiam, cum victus et cultus humanus non uti feris in propatulo ac silvestribus locis, sed domi sub tecto accurandus erat, necessarium fuit alterutrum foris et sub dio esse, qui labore et industria compararet quae tectis reconderentur, si quidem vel rusticari vel navigare vel etiam genere alio negotiari necesse erat, ut aliquas facultates acquireremus. cum vero paratae res sub tectum essent congestae, alium esse oportuit, qui et illatas custodiret et ea conficeret opera, quae domi deberent administrari: nam et fruges ceteraque alimenta terrestria indigebant tecto, et ovium ceterarumque pecudum fetus atque fructus claustro custodiendi erant, nec minus reliqua utensilia, quibus aut alitur hominum genus aut etiam excolitur. qua re cum [et] operam et diligentiam ea, quae proposuimus, desiderarent nec exigua cura foris acquirerentur quae domi custodiri oporteret, iure, ut dixi, natura comparata est *opera* mulieris ad domesticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forensem et extraneam. itaque viro calores et frigora perpetienda, tum etiam itinera et labores pacis ac belli, id est rusticationis et militarium stipendiorum, deus tribuit, mulieri deinceps, quod omnibus his rebus eam fecerat inhabilem, domestica negotia curanda tradidit. et quoniam hunc sexum custodiae et diligentiae assignaverat, idcirco timidiorem reddidit quam virilem: nam metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi. quod autem necesse erat foris et in aperto victum quaerentibus non numquam iniuriam propulsare, idcirco virum quam mulierem fecit audaciorem. quia vero partis opibus aeque fuit opus memoria et diligentia, non minorem feminae quam viro earum rerum tribuit possessionem. tum etiam, quod simplex natura non omnes res commode amplecti valebat, idcirco alterum alterius indigere voluit, quoniam, quod alteri deest, praesto plerumque est alteri. haec in Oeconomico Xenophon et deinde Cicero, qui eum Latinae consuetudini tradidit, non inutiliter disseruerunt. Columella l. XII. Praef. §. 1—7. Xenoph. Oecon. c. 7, 18.

6. in primis considerandum erit, an a vino, ab escis, a superstitionibus, a somno, a viris remotissima sit (vilica), et ut cura eam subeat, quid meminisse, quid in posterum prospicere debeat, ut fere eum morem servet, quem vilico praecepimus, quoniam pleraque similia esse debent in viro atque femina et tam malum vitare quam praemium recte factorum sperare. - - ea porro persuasissimum habere debebit aut in totum aut certe plurimum domi se morari oportere, tum quibus aliquid in agro faciendum erit servis, eos foras emittere, quibus autem in villa quid agendum videbitur, eos intra parietes continere atque animadvertere, ne diurna cessando frustrentur opera, quae domum autem inferuntur, diligenter inspicere, ne delibata sint, et ita explorata atque inviolata recipere, tum separare quae consumenda sunt et quae superfieri possunt custodire, ne sumptus annuus menstruus fiat. tum si quis ex familia coeperit adversa valetudine affici, videndum erit ut is quam commodissime ministretur: nam ex huius modi cura nascitur benevolentia nec minus obsequium. quin etiam fidelius quam prius servire student, qui convaluerint, cum est aegris adhibita diligentia. - - quod excelsissimum est conclave, pretiosissima vasa et vestem desiderat; quod denique horreum siccum atque aridum, frumentis habetur idoneum; quod frigidum, commodissime vinum custodit; quod bene illustre,

fragilem supellectilem atque ea postulat opera, quae multi luminis indigent. - - nam vetus est proverbium, paupertatem certissimam esse, cum alicuius indigeas, uti eo non posse, quia ignoretur, ubi proiectum iaceat quod desideretur. itaque in re familiari laboriosior est neglegentia quam diligentia. quis enim dubitet nihil esse pulchrius in omni ratione vitae dispositione atque ordine? quod etiam ludicris spectaculis licet saepe cognoscere. nam ubi chorus canentium non ad certos modos neque numeris praeeuntis magistri consensit, dissonum quiddam ac tumultuosum audientibus canere videtur: at ubi certis numeris ac pedibus velut facta conspiratione consensit atque concinuit, ex eius modi vocum concordia non solum ipsis canentibus amicum quiddam et dulce resonat, verum etiam spectantes audientesque laetissima voluptate permulcentur. iam vero in exercitu neque miles neque imperator sine ordine ac dispositione quidquam valet explicare, cum armatus inermem, eques peditem, plaustrum equitem, si sint permixti, confundant. haec eadem ratio praeparationis atque ordinis etiam in navigiis plurimum valet. nam ubi tempestas incessit et est rite disposita navis, suo quidque ordine locatum armamentum sine trepidatione minister promit, cum est a gubernatore postulatum. quod si tantum haec possunt vel in theatris vel in exercitibus vel etiam in navigiis, nihil dubium est quin cura vilicae ordinem dispositionemque rerum, quas reponit, desideret. nam et unum quodque facilius consideratur, cum est assignatum suo loco, et si quid forte abest, ipse vacuus locus admonet, ut quod deest requiratur. si quid vero curari aut concinnari oportet, facilius intellegitur, cum ordine suo recensetur. de quibus omnibus M. Cicero auctoritatem Xenophontis secutus in Oeconomico sic inducit Ischomachum sciscitanti Socrati narrantem: praeparatis idoneis locis instrumentum et supellectilem distribuere coepimus ac primum ea secrevimus, quibus ad res divinas uti solemus; postea mundum muliebrem, qui ad dies festos comparatur, deinde ad *bella* virilem; item dierum sollemnium ornatum nec minus calciamenta utrique sexui convenientia; tum iam seorsum arma ac tela seponebantur et in altera parte instrumenta, quibus ad lanificia utuntur. post, quibus ad cibum comparandum vasis uti assolent, constituebantur; inde, quae ad lavationem, quae ad exornationem, quae ad mensam cotidianam atque epulationem pertinent, exponebantur. postea ex iis, quibus cotidie utimur, quod menstruum esset, seposuimus, annuum quoque in duas partes divisimus. nam sic minus fallit, qui exitus futurus sit. haec postquam omnia secrevimus, tum suo quaeque loco disposuimus; deinde, quibus cotidie servuli utuntur, quae ad lanificia, quae ad cibaria coquenda et conficienda pertinent, haec ipsis, qui his uti solent, tradidimus et ubi ea ponerent demonstravimus et ut salva essent praecepimus. quibus autem ad dies festos et ad hospitum adventum utimur et ad quaedam rara negotia, haec promo tradidimus et loca omnium demonstravimus et omnia adnumeravimus atque adnumerata ipsi exscripsimus, eumque admonuimus, ut, quodcumque opus esset, sciret, unde daret, et meminisset atque adnotaret, quid et quando et cui dedisset, et, cum recepisset, ut quidque suo loco reponeret. - - - denique uno loco quam minime oportebit eam consistere; neque enim sedentaria eius opera est, sed modo ad telam debebit accedere ac, si quid melius sciat, docere, si minus, addiscere ab eo, qui plus intellegat, modo eos, qui cibum familiae conficiunt, invisere, tum etiam culinam et bubilia nec minus praesepia mundanda curare; valetudinaria quoque, vel si vacent ab imbecillis, identidem aperire et immunditiis liberare, ut, cum res exegerit, bene ordinata [et ornata] et salubria languentibus praebeantur; promis quoque et cellariis aliquid appendentibus aut me-

tientibus intervenire. -- postremo his rebus omnibus constitutis nihil hanc arbitror distributionem profuturam, nisi, ut iam dixi, vilicus saepius et aliquando tamen dominus aut matrona consideraverit animadverteritque, ut ordinatio instituta conservetur. quod etiam in bene moratis civitatibus semper est observatum, quarum primoribus atque optimatibus non satis visum est bonas leges habere, nisi custodes earum diligentissimos cives creassent, quos Graeci *νομοφύλακας* appellant. horum erat officium eos, qui legibus parerent, laudibus prosequi nec minus honoribus, eos autem, qui non parerent, poena multare. Columella XII, 1, 3. — XII, 3, 11. Xenophon Oecon. c. 7, 36. — c. 10, 10.

Columellam non ipsum Xenophontem, sed Ciceronem interpretem secutum esse ita, ut passim et ordinem sententiarum immutaret et Tullianis verbis sua substitueret, consentaneum est.

7. sane sciendum Xenophontem scripsisse unum librum Oeconomicum, cuius pars ultima agriculturam continet, de qua parte multa ad [suum] hoc opus Virgilius transtulit, sicut etiam de Georgicis Magonis Afri, Catonis, Varronis, Ciceronis quoque libro tertio Oeconomicorum, qui agriculturam continet. nam primus praecepta habet, quem ad modum debeat materfamilias domi agere; secundus, quem ad modum foris paterfamilias. Servius ad Virg. Georg. I, 43.

8. in Oeconomico Xenophontis, quem M. Cicero Latino sermoni tradidit, vir egregius ille Ischomachus Atheniensis, rogatus a Socrate utrumne, si res familiaris desiderasset, mercari vilicum tamquam fabrum an ipse instituere consueverit, ego vero inquit ipse instituo; etenim qui me absente in meum locum substituitur et vicarius meae diligentiae succedit, is ea, quae ego, scire debet. Columella XI, 1, 5. Xenoph. Oecon. 12, 3 sq.

an ipse Patricius: *an a se* libri.

9. somni et vini sit abstinentissimus, quae utraque sunt inimicissima diligentiae: nam et ebrioso cura officii pariter cum memoria subtrahitur et somniculosum plurima effugiunt; quid enim possit aut ipse agere aut cuiquam dormiens imperare? tum etiam sit a venereis amoribus aversus, quibus si se dediderit, non aliud quicquam possit cogitare quam illud, quod diligit; nam vitiis eius modi pellectus animus nec praemium iucundius quam fructum libidinis nec supplicium gravius quam frustrationem cupiditatis existimat. Columella XI, 1, 13 sq. Xenoph. Oecon. 12, 11—14.

10. interfici et occidi et inanimalia veteres posse vehementi auctoritate posuerunt. M. Tullius Oeconomico: nullo modo facilius arbitror posse neque herbas arescere et interfici neque terram ab sole percoqui. Nonius p. 449 sq. Xenoph. Oecon. 16, 14.

11. sementibus tempora plerique praesumunt et ab undecimo die autumnalis aequinoctii fruges serunt adveniente Coronae exortu, continuis diebus certo prope imbrium promisso; Xenophon, non antequam deus signum dederit. hoc Cicero Novembris imbre fieri interpretatus est, cum sit vera ratio non prius serendi quam folia coeperint decidere. Plinius N. H. XVIII, 60, 224. Xenoph. Oecon. 17, 2.

12. alvaria neutro genere pluraliter tantum dicuntur, quamvis Cicero in Oeconomico singulariter dixerit: apes in alvarium congesserant. Charisius I. p. 82. P. p. 106 sq. K. Xenoph. Oecon. 17, 14. coll. 7, 33.

congesserant P. Victorius: *concesserant* cod.

13. scrobes masculini sunt generis, nam Cicero in Oeconomicis sic dicit. Servius ad Virgil. Georg. II, 288. Xenoph. Oecon. 19, 3.

14. Cicero Oeconomicon libro tertio: neque serit vitem neque quae sata est diligenter colit: oleum, ficos, poma non habet. Macrobius Saturnal. III, 20, 4. Xenoph. Oecon. 19, 12 sq.

15. Cicero in Oeconomico: cum vero adfecta iam prope aestate uvas a sole mitescere tempus est. Gellius XV, 5, 8. Nonius v. profligare. Xenoph. Oecon. 19, 18.

16. plurimum refert colonos a primo mane opus aggredi nec lentos per otium pigre procedere, si quidem Ischomachus idem ille, malo, inquit, unius agilem industriam quam decem hominum neglegentem et tardam operam; quippe plurimum affert mali, si operario tricandi potestas fiat: nam ut in itinere conficiendo saepe dimidio maturius pervenit is, qui naviter et sine ullis concessationibus permeabit, quam is, qui, cum sit una profectus, umbras arborum fonticulorumque amoenitatem vel aurae refrigerationem captavit, sic in agresti negotio dici vix potest quid navus operarius ignavo et cessatore praestet. Columella XI, 1, 15 sq. Xenoph. Oecon. 20, 16—19.

17. culmus gen. neut., ut Nepos vult. Cicero autem: eruunt breves culmos. Anonymus de genn. nom. n. 79. ed. Otto. Xenoph. Oecon. 18, 2.

18. nam et Cato et Cicero in Oeconomicis laudant praedia latifundia, quod etiam non culta praestant aliquid domino. Servius ad Virg. Georg. II, 412.

19. ordine longo i. e. dispositione secundum Tullium, qui in Oeconomicis dicit, quid ubi ponendum sit; nec enim debent universa confundi. Idem ad Virg. Aen. I, 703.

20. vetus iste disertorum mos fuit, ut exercendi ingenii causa Graecos libros Latino sermone absolverent et, quod plus in se difficultatis habet, poëmata illustrium virorum addita metri necessitate transferrent: unde et noster Tullius Platonis integros libros ad verbum interpretatus est et, cum Aratum iam Romanum hexametris versibus edidisset, in Xenophontis Oeconomico lusit; in quo opere ita saepe aureum illud flumen eloquentiae scabris quibusdam et turbulentis obicibus retardatur, ut qui interpretata nesciunt a Cicerone dicta non credant. Hieronymus praef. in Eusebii Chronica init. cf. Quintil. X, 5, 2.

II. PLATONIS PROTAGORAS.

Vertere Graeca in Latinum veteres nostri oratores optimum iudicabant. id se L. Crassus in illis Ciceronis de oratore libris dicit factitasse. id Cicero sua ipse persona frequentissime praecipit, quin etiam libros

Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos. Quintilianus X, 5, 2. cf. supra I. n. 20.

---

1. Cicero in Protagora: quid tu? unde tandem appares, o Socrate? an quidem non dubium est quin ab Alcibiade? Priscianus VI, 11, 63. Plato Protag. init.

2. verso activum, ex quo controversor deponens. Cicero in Protagora: nunc a vobis, o Protagora et Socrates, postulo ut de isto concedatis alter alteri et inter vos de huiusce modi rebus controversemini, non concertetis. Priscianus VIII, 7, 35. Plat. Protag. p. 337. A. B. ed. Steph.

3. vetustissimi et altera utra et alterum utrum et alterius utrius solebant proferre absque 'que' additione. Cicero in Protagora: quae igitur potest esse indignitas voluptatis ad molestiam, nisi in magnitudine aut longitudine alterius utrius posita? Priscianus V, 12, 64. cf. VI, 7, 35.

4. sic ('compluria') veteres, quod nostri dempta syllaba 'complura' dicunt. sic Cicero in Protagora: confirmandi genera compluria, credo quia veteres 'hoc plure' non 'hoc plus' dicebant. Donatus in Terentii Phorm. IV, 3, 6.

III. DE IURE CIVILI.

Vide vol. VIII. p. 312.

IV. DE AUGURIIS.

1. equidem adsentior C. Marcello potius quam Ap. Claudio, qui ambo mei collegae fuerunt, existimoque ius augurum, etsi divinationis opinione constitutum sit, tamen postea rei publicae causa conservatum ac retentum. sed de hoc loco plura in aliis, nunc hactenus. Cicero de divinat. II, 75 sq.

2. dies est plenus, qui habet horas viginti quatuor. nam et nox pars diei est. dicimus autem diem a parte meliore. unde et usus est, ut sine commemoratione noctis numerum dicamus dierum. hic autem dies secundum Aegyptios inchoat ab occasu solis, secundum Persas ab ortu solis, secundum Etruscos et Athenienses a sexta hora diei, secundum Romanos a media nocte. haec autem plene exsequitur et Cicero in Auguralibus et Aulus Gellius in libris Noctium Atticarum (III, 2, 7 sqq.). Servius ad Virg. Aen. V, 738.

3. 'avi' Cicero de auguriis: omnibus avi incerta. Charisius (de ablativi forma) p. 98. P. p. 122, 22 Keil.

4. oscen augurum consuetudo dicit. Cicero tamen, inquit Plinius, et hic oscinis dixit. Idem p. 112. P. p. 139, 11. Keil.

V. HORTENSIUS.

Huius dialogi personae praeter ipsum Ciceronem fuerunt Catulus, Lucullus, Hortensius, quibus falso additum esse a Nobbio Q. Lucilium Balbum docuit Krische 'über Cicero's Akademika' p. 5. n. sermo habitus fingitur ante annum u. c. 694., quo Catulus mortuus est; scriptus autem videtur a. u. 709. unum librum fuisse, non duo vel plures, ut non nullis

visum est, ex omnibus locis, quibus huius dialogi mentio fit, manifestum est, etsi bipertitus fuit in philosophiae accusationem eiusdemque defensionem. superfuisse Hortensium dialogum saeculo duodecimo affirmavit Ravaisson (Rapports sur les bibliothèques des départements de l'ouest p. XI.) his verbis: 'Le catalogue des livres de l'abbaye du Bec au XII[e] siècle ajoutera aux notions, que l'on a sur l'étendue des connaissances littéraires à cette époque. L'abbaye du Bec, où enseignèrent Lanfranc et saint Anselme, était une des écoles les plus célèbres et les plus savantes d'alors. On verra qu'on y possédait, avec une partie des ouvrages de Cicéron, l'HORTENSIUS, que nous n'avons plus.' haec affirmatio nititur titulo libri, quem dedit Philippus Episcopus Bajocensis ecclesiae Becci, p. 393: 'Tullius de natura deorum libri III. de divinatione libri II. Timeus Platonis ab eo translatus. et de Fato liber I. ad Ortensium liber I. et de Legibus libri III.' at qui hic nominatur 'ad Hortensium liber' minime est dialogus Hortensius, sed liber secundus Academicorum priorum sive Lucullus, qui item 'ad Hortensium liber' vocatur in subscriptione codicis Gudiani secundi et 'dialogus ad Hortensium' a Vincentio Bellovacensi Spec. doctr. V, 12.

ARGUMENTUM

indicant hi loci:

1. cohortati sumus ut maxime potuimus ad philosophiae studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius. Cicero de divinat. II, 1.

2. philosophiae vituperatoribus satis responsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa et conlaudata est, cum esset accusata et vituperata ab Hortensio. qui liber cum et tibi (Bruto) probatus videretur et iis, quos ego posse iudicare arbitrarer, plura suscepi, veritus ne movere hominum studia viderer, retinere non posse. Cicero de finib. I, 2.

3. nos universae philosophiae vituperatoribus respondimus in Hortensio. Cicero Tusc. disp. II, 4.

4. de universa philosophia, quanto opere et expetenda esset et colenda, satis, ut arbitror, dictum est in Hortensio. Cicero Tusc. disp. III, 6.

5. haec, cum ad philosophiam cohortamur, accuratius disputari solent, quod alio quodam libro fecimus. Cicero de offic. II, 6.

6. si quodam in libro vere est a nobis philosophia laudata, profecto eius tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est. Cicero Acad. pr. II, 6.

7. infinita est illa (quaestio), quae generaliter quaerit, utrum sit aliquid appetendum, ut, an philosophandum sit, in Hortensio disputatur. Martianus Capella de rhetorica c. 5. p. 454, 20 ed. Halm.

8. scis ipse, quales homines cum iis, qui aliqua de maioribus eorum scripserint, quantum gerant bellum, nec ignota esse arbitror quae dicit M. Tullius in Hortensio, quem ad exemplum protreptici scripsit. Trebellius Pollio de Salonino Gallieno c. 2. p. 489 ed. Obr.

9. ego postquam in schola rhetoris librum illum Ciceronis, qui Hortensius vocatur, accepi, tanto amore philosophiae succensus sum, ut statim ad eam me transferre meditarer. Augustinus de beata vita c. 4.

10. usitato iam discendi ordine perveneram in librum quendam Ciceronis, cuius linguam fere omnes mirantur, pectus non ita. sed liber ille ipsius exhortationem continet ad philosophiam et vocatur Hortensius. ille vero liber mutavit affectum meum et ad te ipsum, domine,

mutavit preces meas et vota ac desideria mea fecit alia. Augustinus Confessionum III, 4, 7.

Cf. etiam dialogi fragm. 29.

DIALOGI FRAGMENTA.

1. occupare est invenire, tenere vel possidere. M. Tullius in Hortensio: et paulum macelli occupavisse. Nonius p. 355 sq.

paulum macelli Nonii codd.: *Paulum Marcelli* edd., *paullum agelli* Klotz.

2. adnuere, concedere. M. Tullius in Hortensio: quod cum uterque nostrum adnuissent omnesque ad id tempus, quod erat dictum, postero die venissemus. Idem p. 438, 9.

3. Hortensium videtur significare, qui huius modi signis et tabulis pictis familiariter delectabatur. id manifestius in Hortensio ostendit dialogo: cum in villam Luculli ventum esset, omni adparatu venustatis ornatam. Scholiasta Gronovianus ad Verr. Accus. I, 54. p. 404, 22 ed. nostrae.

in villam Luculli ventum -- ornatam Madvig: *in villa Luculli bellum -- ornatum* cod.

4. gratum tibi est. Cicero in Hortensio: Lucullo quidem noster adventus et gratus et iucundus fuisse. Arusianus Messius p. 232 ed. Lind.

5. delectat*us* illa re. Cicero in Hortensio: hic primum Catulus delectatus ipso loco. Idem p. 224 ed. Lind.

6. inanima, sine anima. M. Tullius in Hortensio: nam cum omnis sollertia admiranda est, tum ea, quae efficit ut, inanima quae sint, vivere et spirare videantur. Nonius p. 127 sq.

7. ecferre, edere, provehere. M. Tullius in Hortensio: praeter ceteras nostra extulit civitas. Idem p. 297 sq.

8. lentum significat tardum. M. Tullius in Hortensio: hunc Crassum, qui lentius, ut scitis, dicere solebat, ad imitationem quasi nostri generis contendisse. Idem p. 337 sq.

9. inbuere consuetudo inducere vel inficere existimat, cum sit proprie maculare vel inficere. M. Tullius in Hortensio: ut ii, qui conbibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam, sic litteris talibusque doctrinis ante excoli animos et ad sapientiam concipiendam inbui et praeparari decet. Idem p. 521. v. sufficere p. 386. cf. Platonis Polit. IV. p. 429. D. E.

10. segetem, terram. M. Tullius in Hortensio: ut enim segetes agricolae subigunt aratris multo ante, quam serant. Nonius p. 395, 14. v. subigere p. 401, 8. Schol. Flor. ad Virg. Georg. I, 1. (Mus. Rhen. XVI. p. 443.)

11. constat Lucullum usque ad tempora consulatus expertem fuisse bellorum, post in consulatu historiis studuisse, ut bella destituta cognosceret. hoc in illo dialogo, qui inscribitur Lucullus, Cicero docet, unde

et in Hortensio Lucullus historiam laudavit. Scholiasta Gronovianus in or. pro lege Manilia §. 28. p. 441, 10 sqq. ed. nostrae.

12. M. Tullius in Hortensio: quid enim aut Herodoto dulcius aut Thucydide gravius aut Philisto brevius aut Theopompo acrius aut Ephoro mitius inveniri potest? Nonius v. grave p. 315, 27. v. acre p. 241, 12. v. mitis p. 343, 10.

13. cognoscere, nosse vel perspicere. M. Tullius in Hortensio: unde autem facilius quam ex annalium monumentis aut bellica res aut omnis rei publicae disciplina cognoscitur? Idem p. 275, 31.

14. grave, solidum et firmum. M. Tullius in Hortensio: unde aut ad agendum aut ad dicendum copia depromi maior gravissimorum exemplorum quasi incorruptorum testimoniorum potest? Idem p. 315, 21.

15. exordium est initium. M. Tullius in Hortensio: perge, quaeso, nec enim imperite exorsus es. Idem p. 30, 26.

16. contendere, intendere. M. Tullius in Hortensio: magna etiam animi contentio adhibenda est explicando Aristoteli, si leges. Idem p. 264, 14.

Aristoteli Orellius: *Aristotele* codd., *in Aristotele* Iunius.

17. comest pro comedit. M. Tullius in Hortensio: sed ad extremum pollicetur prolaturum, quae se ipse comest, quod efficit dialecticorum ratio. Idem p. 81, 28.

18. remittere, delectare. M. Tullius in Hortensio: quaero enim, non quibus intendam rebus animum, sed quibus relaxem et remittam. Idem p. 383, 21. cf. p. 329, 5.

19. Ciceronis Hortensius contra philosophiam disserens circumvenitur arguta conclusione, quod, cum diceret philosophandum non esse, nihilo minus philosophari videbatur, quoniam philosophi esset, quid in vita faciendum vel non faciendum sit, disputare. Lactantius Inst. div. III, 16, 9.

20. praeterea illud quoque argumentum contra philosophiam valet plurimum, quo idem est usus Hortensius: ex eo posse intellegi, philosophiam non esse sapientiam, quod principium et origo eius appareat. quando inquit philosophi esse coeperunt? Thales, ut opinor, primus. recens haec quidem aetas. ubi ergo apud antiquiores latuit amor iste investigandae veritatis? Idem ibid. §. 12.

21. prudentiam a providendo dictam dilucide ostendit M. Tullius in Hortensio: id enim est sapientis, providere; ex quo sapientia est appellata prudentia. Nonius p. 41, 30.

22. quo sub caelo aut qua sub parte caeli, aut secundum Epicureos, qui plures volunt esse caelos, ut Cicero in Hortensio. Servius ad Virg. Aen. I, 330.

23. tandem; hoc loco vacat tandem. sciendum sane multas particulas ad ornatum pertinere tantummodo, ut puta enim, dum, gentium,

locorum, terrarum, ut Cicero in Hortensio: aut tandem doceas, quod vix quoiquam contigit. Servius ad Virg. Aen. I, 331.

24. urgere est premere, cogere. M. Tullius in Hortensio: itaque tunc Democriti manus urgebatur; est enim non magna. Nonius p. 418, 10.

25. tria sunt genera annorum: aut enim lunaris annus est xxx. dierum, aut solstitialis, xii. milia nongentos liv. annos, ut in Hortensio: et horum annorum, quos in fastis habemus, magnus xii. milia dccclIV. amplectitur. Servius ad Virg. Aen. I, 269. magnum annum esse voluerunt omnibus planetis in eundem locum recurrentibus. et hoc fit, ut diximus, secundum Ciceronis Hortensium post annos xii. milia nongentos quinquaginta quattuor, solstitiales scilicet. Idem ad Virg. Aen. III, 284. si, ut Cicero in Hortensio scribit, is est magnus et verus annus, quo eadem positio caeli siderumque, quae cum maxime est, rursum exsistet, isque annus horum, quos nos vocamus, annorum duodecim milia nongentos quinquaginta quattuor complectitur, incipit Demosthenes vester non solum eodem anno, quo nos, sed fere eodem mense exstitisse. Tacitus dial. de oratorib. c. 16.

26. Cicero cum vellet in Hortensio dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret, sumere suae disputationis exordium, beati certe, inquit, omnes esse volumus. Augustinus de Trinit. XIII, c. 4. beati quippe omnes esse volumus, quod ipsi Academici teste patrono suo Tullio coacti sunt confiteri, idque unum esse dixerunt, quod disputatione non egeat, quod nemo est qui non expetat. Idem c. Iulianum VI, 26. cf. etiam Iulium Victorem (c. 9. p. 231 ed. Orell. p. 410, 14 ed. Halm.): syllogismorum propositio aut confessa est aut probanda: confessa, ut 'omnes beatam vitam vivere volunt'; sequitur ergo argumentatio et conclusio: probanda, ut 'qui beatam vitam vivere volet, philosophetur oportet'; non enim conceditur, nisi confirmata fuerit. assumptio quoque interim confessa est, ut 'omnes autem volunt beatam vitam vivere.'

27. differre, distare. M. Tullius in Hortensio: quantum inter se homines studiis, moribus, omni vitae ratione differant. Nonius p. 284, 32.

studiis] *studentes* Nonius, *dissidentes* Patricius.

28. praefractum, durum, inflexibile. M. Tullius in Hortensio: his contrarius Aristo Chius, praefractus, ferreus: nihil bonum nisi quod rectum et honestum est. Idem p. 155, 13.

29. Tullius in Hortensio, quem de laude ac defensione philosophiae librum fecit, ecce autem ait non philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum homines, omnis aiunt esse beatos, qui vivant, ut ipsi velint. falsum id quidem; velle enim, quod non deceat, id ipsum miserrimum est, nec tam miserum est non adipisci quod velis quam adipisci velle quod non oporteat; plus enim mali pravitas voluntatis adfert quam fortuna cuiquam boni. Augustinus de beata vita c. 10. de Trinit. XIII, 5, 8.

30. fortasse quaerat aliquis a nobis idem illud, quod apud Cicero-

nem quaerit Hortensius: si deus unus est, quae esse beata solitudo queat? tamquam nos, quia unum dicimus, desertum ac solitarium esse dicamus. habet enim ministros, quos vocamus nuntios. Lactantius Inst. div. I, 7.

31. praecipere est iubere vel monere. M. Tullius in Hortensio: praecipiunt haec isti, sed facit nemo. Nonius p. 371 sq.

32. non ergo utilitatem ex philosophia, sed oblectationem petunt. quod quidem Cicero testatus est: profecto inquit omnis istorum disputatio, quamquam uberrimos fontes virtutis et scientiae continet, tamen collata cum eorum actis perfectisque rebus vereor ne non tantum videatur attulisse negotii hominibus, quantam oblectationem. Lactantius Instit. div. III, 16, 5.

33. lautum, eligans, suave. M. Tullius in Hortensio: quae est igitur philosophia, Socrate? nec dubito quin, quaecumque sit, lautum victum et elegantem magnifice neque minus quam deceret colere instituisset. Nonius p. 337, 25.

quin -- elegantem Nobbe: *quid quaecumque sit lautum ac victum eligantem* codd. -- *instituisset* Nobbe: *instituissent* codd. Locus nondum persanatus est.

34. vel pro etiam est. M. Tullius in Hortensio: vidi in dolore podagrae nihilo illum vel omnium maximum Stoicorum, Posidonium, quam Nicomachum Tyrium, hospitem meum, fortiorem. Idem p. 527, 30. cf. Cic. Tusc. disp. II, 61.

35. sublatum, erectum. M. Tullius in Hortensio: eloquentia tueri, quam tu in caelum, Hortensi, credo, ut ipse cum ea simul ascenderes, sustulisse *videris*. Nonius p. 385, 31.

36. eventus generis est masculini. neutri M. Tullius in Hortensio: tu me et alias non numquam et paulo ante adhortatus es, aliorum *ut* facta et eventa conquirerem. Idem p. 204, 4.

37. bellum cum illo gerit. Cicero in Hortensio: qui cum hodie bellum cum mortuo gerant. Arusianus Messius p. 217 ed. Lindem.

38. sumere significat eligere. M. Tullius in Hortensio: qua re velim dari mihi, Luculle, iubeas indicem tragicorum, ut sumam qui forte mihi desunt. Nonius p. 396, 23.

39. facessere significat recedere. M. Tullius in Hortensio: facessant igitur omnes, qui docere nihil possunt, quo melius sapientiusque vivamus. Idem p. 306 sq.

40. de omnibus quattuor (virtutibus) magnus auctor eloquentiae Tullius in Hortensio dialogo disputans si nobis ait, cum ex hac vita migrassemus, in beatorum insulis immortale aevum, ut fabulae ferunt, degere liceret, quid opus esset eloquentia, cum iudicia nulla fierent, aut ipsis etiam virtutibus? nec enim fortitudine egeremus, nullo proposito aut labore aut periculo, nec iustitia, cum esset nihil quod adpeteretur

alieni, nec temperantia, quae regeret eas, quae nullae essent, libidines: ne prudentia quidem egeremus, nullo dilectu proposito bonorum et malorum. una igitur essemus beati cognitione naturae et scientia, qua sola etiam deorum est vita laudanda. ex quo intellegi potest cetera necessitatis esse, unum hoc voluntatis. ita ille tantus orator cum philosophiam praedicaret, recolens ea, quae a philosophis acceperat, et praeclare ac suaviter explicans, in hac tantum vita, quam videmus aerumnis et erroribus plenam, omnes quattuor necessarias dixit esse virtutes. Augustinus de Trinit. XIV, 9.

41. capere, accipere. M. Tullius in Hortensio: deinde boni mores et modestiores et ad capienda praecepta molliores. Nonius p. 253 sq.

42. aptum -- conexum et colligatum significat. M. Tullius in Hortensio: altera est nexa cum superiore et inde apta atque pendens. Idem p. 235, 18.

apta atque Halm: *aptaeque* codd., *apteque* edd.

43. spectare est videre. M. Tullius in Hortensio: caeli signorum admirabilem ordinem insatiabilemque pulchritudinem magis spectat. Idem p. 402, 15.

44. in Hortensio dialogo (Cicero), cum de solis canonicis defectionibus loqueretur, ut easdem inquit tenebras efficiat (sol), quas effecit in interitu Romuli, qui in obscuratione solis est factus. Augustinus de civit. dei III, 15, 1.

45. increpat et increpitat paria sunt et est aut incusare aut insultare. M. Tullius in Hortensio: tune pseudomenon et soritam et totam dialecticam aut illudis aut increpas? Nonius p. 329, 19.

46. pressum, subtile. M. Tullius in Hortensio: quis te aut est aut fuit umquam in partiundis rebus, in definiendis, in explicandis pressior? Idem p. 364, 22.

47. nihil tam praeclarum hominique conveniens potest esse quam erudire hominem ad iustitiam. apud Ciceronem Catulus in Hortensio philosophiam rebus omnibus praeferens malle se dicit vel unum parvum de officio libellum quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio; quae sententia non utique Catuli, sed Ciceronis est putanda. Lactantius Inst. div. VI, 2, 15.

48. convenire, aptum esse. M. Tullius in Hortensio: nam quod vereris ne non conveniat nostris aetatibus ista oratio, quae spectet ad hortandum. Nonius p. 270, 26.

49. caedere, excidere. M. Tullius in Hortensio: aut tibi id ipsum pervertendum fuit, quod tu ne attigisti quidem, aut eius partes quasi membra quaedam caedenda. Idem p. 271, 30.

50. aera neutri. M. Tullius in Hortensio: quid? tu, inquam, soles, cum rationem a dispensatore accipis, si aera singula probasti, summam, quae ex his confecta sit, non probare? Idem p. 193, 9.

51. scripta puncta tesserarum. M. Tullius in Hortensio: itaque tibi concedo, quod in XII. scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicuius dati paenitet. Nonius p. 170, 28.

puncta C. L. Roth: *tcuncta* codd.

52. gratificari, gratum facere. M. Tullius in Hortensio: qua re adgredere, quaeso, et gratificare rei publicae. Idem p. 118, 24.

53. tollere est elevare. M. Tullius in Hortensio: nihil tamen esse, in quo se animus excellens tollere —. Idem p. 407, 4.

54. capere, decipere, circumvenire. M. Tullius in Hortensio: captum me fortasse, inquit, putas et id, quod nollem, confiteri coactum. Idem p. 253, 24.

55. subducere est surripere. M. Tullius in Hortensio: an cum videat me et meos comites, fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam, constantiam, gravitatem, fidem, ipsa se subducat? Idem p. 399, 24.

56. hic sanguis, huius sanguinis, quod veteres hoc sanguen dixerunt. Cicero in Hortensio: ut ait Ennius:

refugiat timido sanguen atque exalbescat metu.

Priscianus VI, 12, 66. cf. Cic. de finib. V, 31. de orat. III, 218. Nonius v. sanguis p. 224, 7.

57. praestare, antecellere. M. Tullius in Hortensio: itaque nec in philosophia cuiquam cessit et vitae gravitate praestitit. Nonius p. 371, 21.

58. contemptus generis masculini, contemptio feminini. M. Tullius in Hortensio: magnitudo animi, patientia laborum, mortis dolorumque contemptio. Idem p. 201 sq.

59. detrahere, tollere. M. Tullius in Hortensio: ut ea sibi ratio vera restituat, quae consuetudo vitiosa detraxerat. Idem p. 288, 8.

60. despicere, desuper aspicere. M. Tullius in Hortensio: consolabitur eum magnitudo animi et humanarum opinionum alta quaedam despectio. Idem p. 288, 22.

61. deducere, depravare, transvertere a recto. M. Tullius in Hortensio: habet enim ipsa certam et definitam viam, sed ex ea multis vitiis et erroribus depravata deducitur. Idem p. 289, 18.

62. vindicat, asciscit, ad se trahit. M. Tullius in Hortensio: deinde imitator, ut sibi quidem videtur, naturae mos vindicat. Idem p. 419, 17.

63. exsultare, gloriari cum iactantia. M. Tullius in Hortensio: imbecillis autem est pudoris magister timor, qui, si quando paulu lum aberravit, statim spe impunitatis exsultat. Idem p. 230 sq.

[64. Ciceronis est tractum de philosophis, qui dicunt sufficere ad gloriam bene facti conscientiam. Servius ad Virg. Aen. IX, 254.] cf. Cic. Philipp. II, 114.

65. redundare, abundare, superesse. M. Tullius in Hortensio: tum intellegas, quam illud non sit necessarium, quod redundat. Nonius p. 384, 20.

66. gliscit est congelascit et colligitur vel crescit vel ignescit. M. Tullius in Hortensio: ad iuvenilem lubidinem. copia voluptatum gliscit illa, ut ignis oleo. Idem p. 22, 21.

67. verecundatur. M. Tullius in Hortensio: hi nostri amici verecundantur capti splendore virtutis. Idem p. 480, 17.

68. fingamus aliquem talem, qualem Tullius fuisse dicit Oratam. quis enim facile dicat Oratam egestate laborasse, hominem ditissimum, amoenissimum, deliciosissimum, cui neque ad voluptatem quicquam defuit neque ad gratiam neque ad bonam integramque valetudinem; nam et praediis quaestuosissimis et amicis iucundissimis quantum libuit abundavit et illis omnibus aptissime ad salutem corporis usus est, eiusque, ut breviter totum explicem, omne institutum voluntatemque omnem successio prospera consecuta est. Augustinus de beata vita c. 26.

69. balneae generis feminini. neutri M. Tullius in Hortensio: primus balneola suspendit, inclusit pisces. Nonius p. 194, 13. C. Sergius Orata pensilia balinea primus facere instituit. quae inpensa levibus initiis coepta ad suspensae calidae aquae tantum non aequora penetravit. idem, videlicet ne gulam Neptuni arbitrio subiectam haberet, peculiaria sibi maria excogitavit, aestuariis intercipiendo fluctus pisciumque diversos greges separatis molibus includendo, ut nulla tam saeva tempestas inciderit, qua non Oratae mensae varietate ferculorum abundarent. aedificiis etiam spatiosis et excelsis deserta ad id tempus ora Lucrini lacus pressit, quo recentiore usu conchyliorum frueretur: ubi *dum* se publicae aquae cupidius inmergit, cum Considio publicano iudicium nanctus est. in quo L. Crassus, adversus illum causam agens, errare amicum suum Considium dixit, quod putaret Oratam remotum a lacu cariturum ostreis: namque ea, si inde petere non licuisset, in tegulis reperturum. Valerius Max. IX, 1, 1.

70. fruor fructum facit. Cicero in Hortensio: et amoenitate summa perfructus est. Priscianus X, 2, 13.

71. ostrea generis feminini. M. Tullius in Hortensio: sollertiamque eam, *quae* posset vel in tegulis proseminare ostreas. Nonius p. 216, 12.

72. summum, extremum. M. Tullius in Hortensio: vixit ad summam senectutem optuma valetudine. Idem p. 401, 31.

73. invitari est delectari. M. Tullius in Hortensio: voluptates autem nulla ad res necessarias invitamenta adferunt senibus. Idem p. 321, 15.

voluptates] *voluntates* codd.

74. vide, quid in Hortensii dialogo dicat Tullius, quae magis verba te delectare debuerant quam Balbi Stoicorum partes agentis (in Ciceronis de deorum natura libro secundo, non in Hortensio). quae licet vera, tamen de parte hominis inferiore, hoc est de corpore, fuerunt et te nihil adiuvare potuerunt. vide quid iste pro vivacitate mentis contra voluptatem corporis dicat. an vero inquit voluptates corporis expetendae, quae vere et graviter a Platone dictae sunt illecebrae

esse atque escae malorum? (cf. Cic. de senect. §. 44.) quae enim confectio est inquit valetudinis, quae deformatio coloris et corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non evocetur atque eliciatur voluptate? cuius motus ut quisque est maximus, ita est inimicissimus philosophiae: congruere enim cum cogitatione magna voluptas corporis non potest; quis enim, cum utatur voluptate ea, qua nulla possit maior esse, attendere animo, inire rationes, cogitare omnino quicquam potest? quis autem tantus est gurges, qui dies et noctis sine ulla minimi temporis intermissione velit ita moveri suos sensus, ut moventur in summis voluptatibus? quis autem bona mente praeditus non mallet nullas omnino nobis a natura voluptates datas? Augustinus contra Iulianum Pelagian. IV, 14, 72. si in quibusdam veris sententiis saltem philosophorum litteris crederes, non surdo corde illud audires, quod voluptates illecebras atque escas malorum et vitiosam partem animi dixerunt esse libidinem. Idem ibid. V, 8, 33. cf. V, 10, 42. conficere, consumere, finire. M. Tullius in Hortensio: quae est enim confectio valetudinis, quae deformatio corporis? Nonius p. 269, 21.

75. sicut ait Hortensius, tunc obsequatur (homo) naturae, cum sine magistro senserit, quid natura desideret. Augustinus contra Iulianum Pelag. V, 7, 29.

76. genitivus pro ablativo. M. Tullius in Hortensio: et qui exspectat pendet animi, quia semper, quid futurum sit, incertum est. Nonius p. 498, 30.

77. noxa et noxia hanc habent diversitatem, quod est noxa peccatum leve, noxia nocentia. M. Tullius in Hortensio: et ceteras quidem res, in quibus peccata non maxumas adferunt noxias, tamen inscii non attingunt. Idem p. 438, 23.

maximas adf. noxias, tamen inscii non attingunt Mercerus (collato Platonis Alcibiade priore): *maxume adf. noxias tamen insciinnatattingunt* codd.

78. eculeos diminutivum ab equis M. Tullius in Hortensio dici voluit: ut igitur domitores equorum non verbera solum adhibent ad domandum, sed cibum etiam saepe subtrahunt, *ut* fame debilitetur eculeorum nimis effrenata vis. Idem p. 105, 7.

79. lentum, patiens, placidum. M. Tullius in Hortensio: qui cum publicas iniurias lente tulisset, suam non tulit. Idem p. 338, 8.

80. continens, coniunctum, continuum. M. Tullius in Hortensio: ne in continentibus quidem terris vestrum nomen dilatari potest. Idem p. 274, 5.

81. conficere, facere. M. Tullius in Hortensio: ea facultas nostris maioribus erat, qui confectis senatus consultis —. Idem p. 269, 10.

82. acre, austerum, acerbum, asperum. M. Tullius in Hortensio:

quod alterius ingenium sic ut acetum Aegyptium, alterius sic acre, ut mel Hymettium, dicimus. Nonius p. 240, 31. cf. Augustinus de beata vita c. 14: nescio quomodo contortum hoc et aculeatum, quod posuisti, ut ait ille de melle Hymettio, acriter dulce est nihilque inflat viscera.

83. severum, asperum, trucem. M. Tullius in Hortensio: aliud ex silvis severum et triste. Idem p. 390, 14. v. triste p. 409, 17.

84. fides, chordae quae appellantur. M. Tullius in Hortensio: ponendae sunt fides et tibiae. Idem p. 313, 20

85. tenue, parvum, exiguum. M. Tullius in Hortensio: eundem non mediocri pecunia, sed etiam tenui percipere possumus. Idem p. 411, 27.

86. priores et primores hanc habent diversitatem: priores enim comparativi sunt gradus, primores summae quaeque res. M. Tullius in Hortensio: qui illud nescio quid, quod in primoribus habent, ut aiunt, labris. Idem p. 427 sq.

illud Orellius: *illum* codd.

87. subducere, supputare. M. Tullius in Hortensio: non et sine ea cogitatione ineundis subducendisque rationibus. Idem p. 399, 14.

88. quanto te melius veritatique vicinius de hominum generatione senserunt quos Cicero in extremis partibus Hortensii dialogi velut ipsa rerum evidentia ductus compulsusque commemorat? nam cum multa, quae videmus et gemimus, de hominum vanitate atque infelicitate dixisset, ex quibus humanae inquit vitae erroribus et aerumnis fit ut interdum veteres illi sive vates sive in sacris initiisque tradendis divinae mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore poenarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur, verumque sit illud, quod est apud Aristotelem, simili nos adfectos esse supplicio atque eos, qui quondam, cum in praedonum Etruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur, quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata, quam aptissime colligabantur, sic nostros animos cum corporibus copulatos ut vivos cum mortuis esse coniunctos. Augustinus contra Iulianum Pelagian. IV, 15. diximus Maeoniam provinciam esse, cuius dum brevitas duos fratres Lydum et Tyrrhenum ferre non posset, ex sorte Tyrrhenus cum ingenti multitudine profectus partem Italiae tenuit et Tyrrheniam nominavit. hi diu piraticam exercuerunt, ut etiam Cicero in Hortensio docet, cum captivos novis poenis affligerent, occisorum eos religantes cadaveribus. Servius ad Virg. Aen. VIII, 479 sq. mortua quin etiam iungebat corpora vivis] quod supra dictum est, quod Cicero etiam in Hortensio de Tuscis dixit. Idem ad Virg. Aen. VIII, 485. ac ne Etrusci quidem parum feroces in poena excogitanda, qui vivorum corpora cadaveribus adversa adversis alligata atque constricta, ita ut singulae membrorum partes singulis essent adcommodatae, tabescere simul patiebantur, amari vitae pariter ac mortis tortores. Valerius Max. IX, 2 ext., 10.

89. adpendix dicitur quod alii est coniunctum, quasi ex alio pendeat. M. Tullius in Hortensio: vidit enim, quod videndum fuit, adpendicem animi esse corpus nihilque esse in eo magnum. Nonius p. 42, 7.

90. hanc contemplativam sapientiam Cicero commendans in fine dialogi Hortensii quae nobis inquit dies noctisque considerantibus acuentibusque intellegentiam, quae est mentis acies, caventibusque ne quando illa hebescat, id est in philosophia viventibus, magna spes est, aut si hoc, quo sentimus et sapimus, mortale et caducum est, iucundum nobis perfunctis muneribus humanis occasum neque molestam exstinctionem et quasi quietem vitae fore, aut si, ut antiquis philosophis iisque maximis longeque clarissimis placuit, aeternos animos ac divinos habemus, sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est in ratione et investigandi cupiditate, et quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum vitiis et erroribus, hoc iis faciliorem ascensum et reditum in caelum fore. deinde addens hanc ipsam clausulam repetendoque sermonem finiens quapropter inquit, ut aliquando terminetur oratio, si aut exstingui tranquille volumus, cum in his artibus vixerimus, aut si ex hac in aliam haud paulo meliorem domum sine mora demigrare, in his studiis nobis omnis opera et cura ponenda est. Augustinus de Trinit. XIV, 19, 26. cf. Cic. Tusc. disp. I, 72.

artibus] *artubus* Claudius Taurinensis episcopus in praefatione in commentarios suos ad epistolas Pauli apostoli. (Ang. Maii Scriptt. vett. nova coll. e codd. Vaticanis VII. p. 274 sq.)

91. necdum scis, quantum ubique nos adiuvet (philosophia), quem ad modum et in maximis, ut Ciceronis utar verbo, opituletur et in minima descendat. Seneca ep. 17, 2. Ad Hortensium retulit Lipsius.

92. M. Tullius in Hortensio dicit, quod omnis noster intellectus multis obstruitur difficultatibus. Rogerius Baco in Opere maiori p. 2 ed. Iebb.

93. sunt et alia perpauca, quae desiderativa dicuntur, ut dictum est a Cicerone de philosophis morturiunt, mori desiderant. Augustinus de grammatica Opp. ed. Bened. Append. T. I. p. 11. extr. Huc retulit Fr. Schneider in Progr. Tremesn. a. 1841. p. 14.

94. itaque rectissime a dialecticis dictum est ambiguum esse omne verbum. nec moveat quod apud Ciceronem calumniatur Hortensius hoc modo: ambigua se aiunt audire acute, explicare dilucide; item omne verbum ambiguum esse dicunt. quo modo igitur ambigua ambiguis explicabunt? nam hoc est in tenebras exstinctum lumen inferre. facete quidem atque callide dictum, sed hoc est, quod apud eundem Ciceronem Scaevola dicit Antonio (de orat. I, 44.): 'denique ut sapientibus diserte, stultis etiam vere videaris

dicere.' quid enim aliud illo loco fecit Hortensius nisi acumine ingenii et lepore sermonis quasi meraco et suavi poculo imperitis caliginem obfudit? quod enim dictum est omne verbum ambiguum esse, de singulis verbis dictum est. explicantur ambigua disputando et nemo utique verbis singulis disputat. nemo igitur ambigua verba verbis ambiguis explicabit. Augustinus de dialectica c. 9. cf. Guil. Crecelius in Iahnii Annal. philol. vol. 75. p. 79 sq.

95. clamat Cicero (Acad. II, 66.) se ipsum magnum esse opinatorem, sed de sapiente se quaerere. certe in Hortensio legistis: si igitur nec certi est quicquam nec opinari sapientis est, nihil umquam sapiens adprobabit. Idem c. Academ. III, 14, 31. cf. Krische p. 31. n.

96. placuit Ciceroni nostro beatum esse qui veritatem investigat, etiam si ad eius inventionem non valeat pervenire. -- quis ignorat eum affirmasse vehementer, nihil ab homine percipi posse nihilque remanere sapienti nisi diligentissimam inquisitionem veritatis, propterea quia, si incertis rebus esset assensus, etiam si fortasse verae forent, liberari ab errore non posset? quae maxima est culpa sapientis. Idem ibid. I, 3, 7. Huc retulit Krische p. 29. n.

97. quis non quid perspexeris cernat? ne scilicet in ipsa de voluptate quaestione honestiores philosophi te obruerent, quos Cicero propter ipsam honestatem tamquam consulares philosophos nuncupavit. Augustinus c. Iulianum Pelagian. IV, 15, 76. Ad Hortensium retulit Halm. cf. fragm. 74.

VI. CATO.

Post victoriam a C. Caesare ad Thapsum a. u. c. 708. contra defensores rei publicae reportatam cum Uticae se ipse interfecisset M. Cato de re publica desperans, multi Caesaris osores et obtrectatores suaserunt Ciceroni, ut laudationem Catonis scriberet, viri integerrimi et cordatissimi, quibus Cicero non sine magna haesitatione obsecutus est. Ciceronis autem aliorumque, Bruti (ad Att. XIII, 46, 2.), M. Fadii Galli (ad famil. VII, 24, 2.), laudatio Catonis Caesarem excitavit ut laudibus vituperationem opponeret non uno solum, sed duobus Anticatonibus scriptis, de quibus optime disseruit C. Goettlingius in Indice scholarum aestivarum a. 1865. Ienae habendarum p. 7 sqq.

1. interiectus est etiam nuper liber is, quem ad nostrum Atticum de senectute misimus; imprimisque, quoniam philosophia vir bonus efficitur et fortis, Cato noster in horum librorum (quibus optimarum artium vias civibus meis tradere volui) numero ponendus est. Cic. de divinat. II, 3.

2. quantum illud est, quod in maximis occupationibus numquam intermittis studia doctrinae, semper aut ipse scribis aliquid aut me vocas ad scribendum! itaque hoc (opus) sum adgressus statim Catone absoluto, quem ipsum numquam attigissem, tempora timens inimica virtuti, nisi tibi hortanti et illius memoriam mihi caram excitanti non parere nefas esse duxissem. Cic. in Oratore ad M. Brutum §. 35.

3. de Catone *πρόβλημα Ἀρχιμήδειον* est: non adsequor, ut scribam quod tui convivae non modo libenter, sed etiam aequo animo legere possint; quin etiam, si a sententiis eius dictis, si ab omni voluntate consiliisque, quas de re publica habuit, recedam *ψιλῶς*que velim gravitatem constantiamque eius laudare, hoc ipsum tamen istis odiosum *ἄκουσμα*

sit, sed vere laudari ille vir non potest, nisi haec ornata sint, quod ille ea, quae nunc sunt, et futura viderit et ne fierent contenderit et facta ne videret vitam reliquerit: horum quid est quod Aledio probare possimus? Cic. ad Att. XII, 4, 2.

4. Cato me quidem delectat, sed etiam Bassum Lucilium sua. Cic. ad Att. XII, 5, 2.

5. qualis futura sit Caesaris vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit, in quo colligit vitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis. Cic. ad Att. XII, 40, 1. 41, 4.

6. illius librum, quem (Hirtius) ad me misit de Catone, propterea volo divolgari a tuis, ut ex istorum vituperatione sit illius maior laudatio. Cic. ad Att. XII, 44, 1.

7. quid opus est *παρακινδυνεύειν* (litteris suasoriis ad Caesarem scribendis)? praesertim cum illud occurrat, illum, cum antea nihil scripserim, existimaturum me nisi toto bello (Parthico) confecto nihil scripturum fuisse; atque etiam vereor ne putet me hoc quasi Catonis *μείλιγμα* esse voluisse. Cic. ad Att. XIII, 27, 1.

8. legi (Caesaris ad Balbum) epistolam: multa de meo Catone, quem saepissime legendo se dicit copiosiorem factum, Bruti Catone lecto se sibi visum disertum. Cic. ad Att. XIII, 46, 2.

9. cum aliquid de utilitate, honestate, aequitate disseritur deve iis rebus, quae his sunt contrariae, incurrunt status aut iuris aut nominis; quod idem contingit in laudationibus: nam aut negari potest id factum esse, quod laudetur, aut non eo nomine adficiendum, quo laudator adfecerit, aut omnino non esse laudabile, quod non recte, non iure factum sit; quibus omnibus generibus usus est nimis impudenter Caesar contra Catonem meum. Cic. Top. §. 94.

10. ipse Cicero ad Brutum ita scribit: 'veritus fortasse ne nos in Catonem nostrum transferremus illim mali quid, etsi argumentum simile non erat'. Quintilianus V, 10, 9. Cf. supra p. 45. n. 3.

11. M. Ciceronis libro, quo Catonem caelo aequavit, quid aliud dictator Caesar quam rescripta oratione, velut apud iudices, respondit? Cremutius Cordus ap. Tacitum Annal. IV, 34.

12. *ἔγραψε Κικέρων ἐγκώμιον Κάτωνος ὄνομα τῷ λόγῳ θέμενος Κάτωνα· καὶ πολλοῖς ὁ λόγος ἦν διὰ σπουδῆς, ὡς εἰκός, ὑπὸ τοῦ δεινοτάτου τῶν ῥητόρων εἰς τὴν καλλίστην πεποιημένος ὑπόθεσιν. τοῦτο ἠνία Καίσαρα κατηγορίαν αὑτοῦ νομίζοντα τὸν τοῦ τεθνηκότος δι' αὐτὸν ἔπαινον. ἔγραψεν οὖν πολλάς τινας κατὰ τοῦ Κάτωνος αἰτίας συναγαγών· τὸ δὲ βιβλίον Ἀντικάτων ἐπιγέγραπται. καὶ σπουδαστὰς ἔχει τῶν λόγων ἑκάτερος διὰ Καίσαρα καὶ Κάτωνα πολλούς.* Plutarchus Caes. c. 54. *ὁ Καῖσαρ, ὡς εἶδεν αὐτὸν* (Ciceronem) *πολὺ πρὸ τῶν ἄλλων ἀπαντῶντα, κατέβη καὶ ἠσπάσατο καὶ διαλεγόμενος μόνῳ συχνῶν σταδίων ὁδὸν προῆλθεν. ἐκ δὲ τούτου διετέλει τιμῶν καὶ φιλοφρονούμενος, ὥστε καὶ γράψαντι λόγον ἐγκώμιον Κάτωνος ἀντιγράφων τόν τε λόγον αὐτοῦ καὶ τὸν βίον ὡς μάλιστα τῷ Περικλέους ἐοικότα καὶ Θηραμένους ἐπαινεῖν. ὁ μὲν οὖν Κικέρωνος λόγος Κάτων, ὁ δὲ Καίσαρος Ἀντικάτων ἐπιγέγραπται.* Idem Cic. c. 39.

13. Caesar bello civili cognita Catonis morte, cuius virtutem dialogo illo, cui inscripsit 'Cato,' Cicero etiam laudavit, libros duos famosissimos in vitam Catonis edidit, quos Anticatones inscripsit. Schol. in Iuven. VI, 383. ('maiorem, quam sunt duo Caesaris Anticatones.')

Catonem Tullius laudans et duobus voluminibus Caesar accusans. Martianus Capella de rhetorica c. 18.

14. hic est M. Cato, non cognomento Nepos, sed M. Catonis censorii ex filio nepos, qui pater fuit M. Catonis, praetorii viri, qui bello civili Uticae necem sibi gladio manu sua conscivit, de cuius vita liber est M. Ciceronis, qui inscribitur laus Catonis, quem in eodem libro idem Cicero pronepotem fuisse dicit M. Catonis censorii. eius igitur, quem Cicero laudavit, pater hic fuit M. Cato, cuius orationes feruntur inscriptae M. Catonis Nepotis. Gellius N. A. XIII, 20, 3 sq. is M. Cato tribunus pl. fuit et praeturam petens mortem obiit, ex eoque natus est M. Cato praetorius, qui se bello civili Uticae interemit, de cuius vita laudibusque cum M. Tullius scriberet, pronepotem eum Catonis censorii dixit fuisse. Idem ibid. §. 14.

15. nec Tullio compilando, dummodo undique ornamenta sibi conferret, abstinuit (Virgilius): 'o fama ingens, ingentior armis, vir Troiane.' nempe hoc ait, Aeneam famam suam factis fortibus supergressum, cum plerumque fama sit maior rebus. sensus hic in Catone Ciceronis est his verbis: contingebat in eo, quod plerisque contra solet, ut maiora omnia re quam fama viderentur, id quod non saepe evenit, ut exspectatio *a* cognitione, aures ab oculis vincerentur. Macrobius Saturn. VI, 2, 33.

16. ignosco, ignovi, ignotum. unde participium futuri 'ignoturus.' Cicero in Catone [maiore]: ignoturum alteri, quod patrem, alteri, quod tutorem secutus esset. Priscianus X, 3, 18.

VII. PORCIAE LAUDATIO.

1. laudationem (funebrem) Porciae (M. Catonis sororis, uxoris L. Domitii Ahenobarbi) gaudeo me ante dedisse Leptae tabellario, quam tuas acceperim litteras: eam tu igitur, si me amas, curabis, si modo mittetur, isto modo mittendam Domitio et Bruto. Cic. ad Att. XIII, 37, 3. (a. u. c. 709.)

2. laudationem Porciae tibi misi correctam; adeo properavi, ut, si forte aut Domitio filio aut Bruto mitteretur, haec mitteretur. Cic. ad Att. XIII, 48, 2.

VIII. DE GLORIA.

Ciceronis libros de gloria Petrarcha (in libr. epistolarum senilium XV, 1. ad Lucam de Penna dat. Arquade v. Kal. Maias s. a.) sibi contigisse scribit ut Raimundi Superantii beneficio cognosceret, 'quibus visis' inquit 'me ditissimum existimavi.' Scripti sunt a. u. 710.

1. nunc dicamus de gloria, quamquam ea quoque de re duo sunt nostri libri. Cic. de offic. II, 31.

2. his litteris scriptis me ad *συντάξεις* dedi, quae quidem vereor ne miniata cerula tua pluribus locis notandae sint: ita sum *μετέωρος* et magnis cogitationibus impeditus. Cic. ad Att. XV, 14, 4. Huc retulit I. C. G. Boot coll. n. 6.

3. librum tibi celeriter mittam 'de gloria': excudam aliquid *Ἡρακλείδειον*, quod lateat in thesauris tuis. Cic. ad Att. XV, 27, 2.

4. 'de gloria' misi tibi: custodies igitur, ut soles, sed notentur eclogarii, quos Salvius bonos auditores nactus in convivio dumtaxat legat. mihi valde placent; mallem tibi. Cic. ad Att. XVI, 2, 6.

5. nunc neglegentiam meam cognosce: 'de gloria' librum ad te misi; at in eo prooemium id est, quod in Academico tertio. id evenit ob eam rem, quod habeo volumen prooemiorum: ex eo eligere soleo, cum aliquod *σύγγραμμα* institui; itaque iam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto prooemio, conieci id in eum librum, quem tibi misi. cum autem in navi legerem Academicos, adgnovi erratum meum; itaque statim novum prooemium exaravi et tibi misi: tu illud desecabis, hoc adglutinabis. Cic. ad Att. XVI, 6, 4.

6. nostrum opus tibi probari laetor, ex quo *ἄνθη* ipsa posuisti, quae mihi florentiora sunt visa tuo iudicio; cerulas enim tuas miniatas illas extimescebam. Cic. ad Att. XVI, 11, 1.

7. quantas habeat definitiones et significationes gloria, et philosophorum innumerabiles libri, et Ciceronis duo volumina, quae de gloria scripsit, indicio sunt. Hieronymus comment. ad Galat. VIII, 6.

EX LIBRO I.

8. oppidorum originem optime refert Cicero libro I. de gloria, eamque appellationem usurpatione appellatam esse existimat, quod opem darent, adiciens, ut imitetur ineptias Stoicorum. Festus p. 202, 25. ed. Müll.

EX LIBRO II.

9. in libro M. Tullii, qui est secundus de gloria, manifestus error est non magnae rei, quem errorem esse possit cognoscere non aliquis eruditorum, sed qui tantum legerit *Ὁμήρου τὸ η′* (89—91). quam ob rem non tam id mirabamur, errasse in ea re M. Tullium, quam non esse animadversum hoc postea correctumque vel ab ipso vel a Tirone, liberto eius. ita enim scriptum in eo libro est: apud eundem poëtam Aiax cum Hectore congrediens depugnandi causa agit ut sepeliatur, si sit forte victus, declaratque se velle ut suum tumulum multis etiam post saeculis praetereuntes sic loquantur:

hic situs est vitae iam pridem lumina linquens,
qui quondam Hectoreo percussus concidit ense.
fabitur haec aliquis, mea semper gloria vivet.

huius autem sententiae versus, quos Cicero in linguam Latinam vertit, non Aiax apud Homerum dicit neque Aiax agit ut sepeliatur, sed Hector dicit et Hector de sepultura agit prius quam sciat, an Aiax secum depugnandi causa congressurus sit. Gellius N. A. XV, 6.

10. incolume Cicero de gloria II: quo stante et incolume. Charisius p. 133, 9 ed. Keil.

11. sibilus dici oportet, ut Cicero de gloria II: in Tusculanum mihi nuntiabantur gladiatorii sibili. Idem p. 81, 13. K.

12. 'torva leaena.' hoc nomen licet veteres Latinum negent, auctoritate tamen valet; dicebant enim leonem masculum et feminam. Cicero de gloria lib. II. sic ait: statuerunt aeream leaenam. Philargyrius ad Virg. Ecl. 2, 63. cf. Varro de L. L. p. 593. ed. Spengel. Lactant. Inst. div. I, 20, 3.

aeream leaenam Spengel: *gloria leaena* libri.

EX LIBRO INCERTO.

13. plaudo frequens est, apud veteres plodo. Cicero de gloria: o miserum vel potius amentem, de quo necesse erat peius existimare eos, qui ploderent, quam eos, qui non ploderent. Diomedes p. 382 sq. ed. Keil.

14. M. Tullius in eo libro, quo se ipse de morte filiae consolatus est, non dubitavit dicere deos, qui publice colerentur, homines fuisse. --- idem dicit in libris de re publica, idem de gloria. Lactantius Inst. div. I, 15.

15. egregie de Caesare Tullius cum quosdam ait ornare voluit, non illos honestavit, sed ornamenta ipsa turpavit. Hieronymus epist. 66, 6. ad Pammachium Opp. T. I. p. 398. Vallars. Hoc fragmentum huc retulit Beierus.

IX. CONSOLATIO SEU DE LUCTU MINUENDO.

Tullia paulo post, quam cum P. Cornelio Lentulo Dolabella divortium fecit, i. e. mense Februario anni u. 709. Caesare cos. sine collega, ex partu — filii an filiae, incertum — mortua est. Cicero igitur, ut, quem e filiae obitu percipiebat, dolorem levaret, a philosophia solacium petere studuit, eaque mente hunc librum paulo ante Tusculanas disputationes conscripsit, qui liber Isidori aetate exstabat, cuius libellus aureus de contemptu mundi sic incipit: ‘venit ad manus meas quidam liber Ciceronis, cuius forma persuasit animo meo quoddam lamentum mihi et omnibus peccatoribus condere.’

1. quod me ab hoc maerore recreari vis, facis, ut omnia, sed me mihi non defuisse tu testis es: nihil enim de maerore minuendo scriptum ab ullo est, quod ego non domi tuae legerim; sed omnem consolationem vincit dolor. quin etiam feci, quod profecto ante me nemo, ut ipse me per litteras consolarer, quem librum ad te mittam, si descripserint librarii: adfirmo tibi nullam consolationem esse talem. Cic. ad Att. XII, 14, 3. cf. 18, 1.

2. quod me ipse per litteras consolatus sum, non paenitet me, quantum profecerim: maerorem minui, dolorem nec potui nec, si possem, vellem. Cic. ad Att. XII, 28, 2.

3. aegritudinis sedatio et hesterna disputatione explicata est et in Consolationis libro, quem in medio maerore et dolore conscripsimus, quodque vetat Chrysippus, ad recentis quasi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus naturaeque vim attulimus, ut magnitudini medicinae doloris magnitudo concederet. Cic. Tusc. disp. IV, 63. cf. III, 75 sqq.

4. quid ego de Consolatione dicam? quae mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur, ceteris item multum illam profuturam puto. Cic. de divinat. II, 3.

5. quid ego nunc lugeam vitam hominum? vere et iure possum; sed quid necesse est, cum id agam, ne post mortem miseros nos putemus fore, etiam vitam efficere deplorando miseriorem? fecimus hoc in eo libro, in quo nosmet ipsos quantum potuimus consolati sumus. Cic. Tusc. disp. I, 83.

6. haec quidem vita mors est, quam lamentari possem, si liberet. *A.* satis tu quidem in Consolatione es lamentatus, quam cum lego, nihil

malo quam has res relinquere, his vero modo auditis multo magis. Cic. Tusc. disp. I, 76.

7. quis sufficit quantovis eloquentiae flumine vitae huius miserias explicare? quam lamentatus est Cicero in Consolatione de morte filiae, sicut potuit, sed quantum est quod potuit? Augustinus de civit. dei XIX, 4, 2.

8. scito conferentem auctores me deprehendisse a iuratissimis et proximis veteres transscriptos ad verbum, non Ciceroniana simplicitate, qui de re p. Platonis se comitem profitetur, in Consolatione [filiae] Crantorem inquit sequor. Plinius Nat. hist. praef. §. 22. legimus Crantorem, cuius volumen ad confovendum dolorem suum secutus est Cicero. Hieronymus epist. 60, 5. Opp. T. I. p. 334. ed. Vallars.

9. denique et Tullius expositis horum omnium (Platonis, Pythagorae, Pherecydis, Dicaearchi, Democriti, Epicuri) de immortalitate ac morte sententiis nescire se, quid sit verum, pronuntiavit. 'harum' inquit (Tusc. disp. I, 23.) 'sententiarum quae vera sit, deus aliqui viderit.' et rursus alibi quoniam utraque inquit earum sententiarum doctissimos habuit auctores, nec quid certi sit divinari potest. Lactantius Inst. div. VII, 8 extr. Huc retulit Bern. Aug. Schulz.

10. quid Ciceroni faciemus? qui cum in principio Consolationis suae dixisset, luendorum scelerum causa nasci homines, iteravit id ipsum postea, quasi obiurgans eum, qui vitam poenam non esse putet. recte ergo profatus est errore ac miserabili veritatis ignorantia se teneri. Lactantius Inst. div. III, 18, 18.

11. hinc nata est inepta illa sententia, hanc esse mortem, quam nos vitam putemus, illam vitam, quam nos pro morte timeamus, ita primum bonum esse non nasci, secundum citius mori: quae, ut maioris sit auctoritatis, Sileno attribuitur. Cicero in Consolatione non nasci inquit longe optimum nec in hos scopulos incidere vitae, proximum autem, si natus sis, quam primum mori *et* tamquam ex incendio effugere fortunae. credidisse illum vanissimo dicto exinde apparet, quod adiecit aliquid de suo, ut ornaret. Idem III, 19, 14. Cf. Tusc. disp. I, 114. Plut. Consol. ad Apollon. c. 27.

12. idem in Consolatione, id est in opere non ioculari, hanc de philosophia sententiam tulisti: sed nescio qui nos teneat error aut miserabilis ignoratio veri. Idem III, 14, 20. cf. supra n. 10.

13. sin autem est quinta quaedam natura ab Aristotele inducta primum, haec et deorum est et animorum. hanc nos sententiam secuti his ipsis verbis in Consolatione expressimus: animorum nulla in terris origo inveniri potest; nihil enim est in animis mixtum atque concretum aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur, nihil ne aut umidum quidem aut flabile aut igneum. his enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod et praeterita teneat et futura provideat et complecti possit praesentia, quae sola divina sunt; nec invenietur umquam, unde ad hominem venire possint nisi a deo. singularis est igitur quaedam natura atque vis animi, seiuncta ab his usitatis notisque naturis. ita quicquid

est illud, quod sentit, quod sapit, quod vivit, quod viget, caeleste et divinum ob eamque rem aeternum sit necesse est. nec vero deus ipse, qui intellegitur a nobis, alio modo intellegi potest nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens ipsaque praedita motu sempiterno. Cicero Tusc. disp. I, 66. Verba 'animorum nulla -- nisi a deo' ex Tusculanis et Consolatione attulit etiam Lactantius de ira dei c. 10, 45. et verba 'nec vero -- movens' idem Instit. div. I, 5, 25.

14. Tullius in eo libro, quo se ipse de morte filiae consolatus est, non dubitavit dicere deos, qui publice colerentur, homines fuisse. quod ipsius testimonium eo debet gravissimum iudicari, quod et augurale habuit sacerdotium et eosdem se colere venerarique testatur. itaque intra paucos versiculos duas res nobis dedit: nam dum imaginem filiae eodem se modo consecraturum esse profiteretur, quo illi a veteribus sunt consecrati, et illos mortuos esse docuit et originem vanae superstitionis ostendit. cum vero inquit et mares et feminas complures ex hominibus in deorum numero esse videamus et eorum in urbibus atque agris augustissima delubra veneremur, adsentiamur eorum sapientiae, quorum ingeniis et inventis omnem vitam legibus et institutis excultam constitutamque habemus. quod si ullum umquam animal consecrandum fuit, illud profecto fuit. si Cadmi progenies aut Amphitryonis aut Tyndari in caelum tollenda fama fuit, huic idem honos certe dicandus est; quod quidem faciam teque omnium optimam doctissimamque adprobantibus dis inmortalibus ipsis in eorum coetu locatam ad opinionem omnium mortalium consecrabo. fortasse dicat aliquis, prae nimio luctu delirasse Ciceronem. atqui omnis illa oratio et doctrina et exemplis et ipso loquendi genere perfecta non aegri, sed constantis animi ac iudicii fuit, et haec ipsa sententia nullum praefert indicium doloris; neque enim puto illum tam varie, tam copiose, tam ornate scribere potuisse, nisi luctum eius et ratio ipsa et consolatio amicorum et temporis longitudo mitigasset. Lactantius Inst. div. I, 15, 20.

15. docent divinae litterae non exstingui animas, sed aut pro iustitia praemio affici aut poena pro sceleribus sempiterna; nec enim fas est aut eum, qui sceleratus in vita feliciter fuerit, effugere quod meretur, aut eum, qui ob iustitiam miserrimus fuerit, sua mercede fraudari. quod adeo verum est, ut idem Tullius in Consolatione non easdem sedes incolere iustos atque impios praedicaverit. nec enim omnibus inquit iidem illi sapientes arbitrati sunt eundem cursum in caelum patere: nam vitiis et sceleribus contaminatos deprimi in tenebras atque in caeno iacere docuerunt, castos autem [animos], puros, integros, incorruptos, bonis etiam studiis atque artibus expolitos, leni quodam et facili lapsu ad deos, id est ad naturam sui similem, pervolare. Idem Inst. div. III, 19, 6.

16. M. Tullius in sua Consolatione pugnasse se semper contra fortunam loquitur eamque a se esse superatam, cum fortiter inimicorum

impetus rettudisset; ne tum quidem se ab ea fractum, cum domo pulsus patria caruerit: tum autem, cum amiserit carissimam filiam, victum se a fortuna turpiter confitetur. cedo inquit et manum tollo. Lactantius Inst. div. III, 28, 9.

17. sunt etiam qui haec omnia genera consolandi colligant — alius enim alio modo movetur —, ut fere nos in Consolatione omnia in consolationem unam coniecimus; erat enim in tumore animus et omnis in eo temptabatur curatio. Cicero Tusc. disp. III, 76.

18. quid? qui non putant lugendum viris? qualis fuit Q. Maximus efferens filium consularem, qualis L. Paulus duobus paucis diebus amissis filiis, qualis M. Cato praetore designato mortuo filio, quales reliqui, quos in Consolatione collegimus. Idem ibid. §. 70. opprimor interdum et vix resisto dolori, quod ea me solacia deficiunt, quae ceteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt. nam et Q. Maximus, qui filium consularem, clarum virum et magnis rebus gestis, amisit, et L. Paulus, qui duo septem diebus, et vester Galus et M. Cato, qui summo ingenio, summa virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, ut eorum luctum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex re p. consequebantur. Idem ad famil. IV, 6, 1.

19. quid memorem Romanos duces, quorum virtutibus quasi quibusdam stellis Latinae micant historiae? Pulvillus Capitolium dedicans mortuum, ut nuntiabatur, subito filium se iussit absente sepeliri. L. Paulus septem diebus inter duorum exsequias filiorum triumphans urbem ingressus est. praetermitto Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scaevolas, Metellos, Scauros, Marcios, Crassos, Marcellos atque Aufidios, quorum non minor in luctu quam in bellis virtus fuit et quorum orbitates in Consolationis libro Tullius explicavit. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani Opp. Tom. I. p. 335. Vallars. Cf. Valer. Max. V, 10. quod caput totum cum ex Ciceronis Consolatione desumptum videatur, eius epitomen saltem ab Iulio Paride concinnatam exscribendam duxi: 'Horatius Pulvillus cum in Capitolio Iovi optimo maximo aedem pontifex dedicaret interque nuncupationem sollemnem verborum mortuum filium suum audisset, 'tolle' inquit 'cadaver.' Aemilius Paulus, cum duos filios in adoptionem dedisset, ipse duos haberet, unum ante diem quartum triumphi amisit, alterum ipso die triumphi: quam orbitatem apud populum consolatus est ita, ut quis crederet alium esse qui filium perdidisset, alium qui consolaretur. Q. Marcius Rex, superioris Catonis in consulatu collega, cum filium perdidisset, protinus e rogo curiam petit et senatum, qui eo die haberi debuerat, convocavit.'

20. clarissimorum hominum nostrae civitatis gravissimos exitus in Consolatione collegimus. Cic. de divinat. II, 22.

21. velim me facias certiorem proximis litteris, Cn. Caepio, Serviliae Claudii pater, vivone patre suo naufragio perierit an mortuo, item Rutilia vivone C. Cotta, filio suo, mortua sit an mortuo: pertinent ad eum librum, quem 'de luctu minuendo' scripsimus. Cic. ad Att. XII, 20, 2.

22. de Rutilia quoniam videris dubitare, scribes ad me, cum scies, sed quam primum, et num Clodia D. Bruto consulari, filio suo, mortuo vixerit. Cic. ad Att. XII, 22, 2.

23. ut scias me ita dolere, ut non iaceam: quibus consulibus Carneades et ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo annali; haec nunc quaero quae causa fuerit? de Oropo, opinor, sed certum nescio,

et, si ita est, quae controversiae? praeterea, qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenisque praefuerit hortis? qui etiam Athenis *πολιτικοὶ* fuerint illustres? quae etiam ex Apollodori puto posse inveniri. Cic. ad Att. XII, 23, 2.

24. ut ad meas ineptias redeam, velim me certiorem facias, P. Crassus, Venuleiae filius, vivone P. Crasso consulari, patre suo, mortuus sit, ut ego meminisse videor, an post; item quaero de Regillo, Lepidi filio, rectene meminerim patre vivo mortuum. Cic. ad Att. XII, 24, 2.

X. DE CONSILIIS SUIS SIVE EXPOSITIO CONSILIORUM SUORUM.

1. *Καῖσαρ καὶ Κράσσος ἄλλως μὲν ἤχθοντο τῷ Κικέρωνι, σπουδὴν δ' οὖν τινα αὐτοῦ ἔσχον, ἐπειδὴ πάντως καθήξοντα αὐτὸν ᾔσθοντο· καὶ γὰρ ὁ Καῖσαρ καὶ ἀπὼν εὔνοιάν τινα αὐτῷ ἐνεδείξατο· οὐ μέντοι καὶ χάριν οὐδεμίαν ἀντέλαβον. ἐκεῖνος γὰρ τοῦτό τε οὐκ ἀπὸ γνώμης σφᾶς πεποιηκότας εἰδὼς καὶ τῆς φυγῆς αἰτιωτάτους γεγονέναι νομίζων ἐκ μὲν τοῦ προφανοῦς οὐ πάνυ πρὸς αὐτοὺς ἐθρασύνατο, ἅτε καὶ τῶν τῆς ἀκράτου παρρησίας ἐπικαρπῶν νεωστὶ πεπειραμένος, βιβλίον μέντοι τι ἀπόρρητον συνέθηκε καὶ ἐπέγραψεν αὐτῷ ὡς καὶ περὶ τῶν ἑαυτοῦ βουλευμάτων ἀπολογισμόν τινα ἔχοντι. πολλὰ δὲ δὴ καὶ δεινὰ ἐς αὐτὸ καὶ περὶ ἐκείνων καὶ περὶ ἄλλων τινῶν συνένησε, καὶ διὰ τοῦτο φοβηθείς, μὴ καὶ ζῶντος αὐτοῦ ἐκφοιτήσῃ, κατεσημήνατό τε αὐτὸ καὶ παρέδωκε τῷ παιδί, προστάξας οἱ μήτ' ἀναγνῶναι μήτε δημοσιεῦσαι τὰ γεγραμμένα, πρὶν ἂν μεταλλάξῃ.* Cassius Dio XXXIX, 10.

2. 'dico, patres conscripti, superiore nocte cuiusdam hominis nobilis domum Catilinam convenisse.' aut C. Caesaris aut M. Crassi [domum] significat. etenim acerrimi et potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores, cum petiit consulatum, quod eius in dies civilem crescere dignitatem animadvertebant, et hoc ipse Cicero in expositione consiliorum suorum significat. eius quoque coniurationis, quae Cotta et Torquato coss. ante annum, quam haec dicerentur, facta est a Catilina et Pisone, arguit M. Crassum auctorem fuisse. Asconius ad orat. in toga cand. p. 83. ed. Bait.

3. cui enim est illud ignotum, quod Pythagoras ebrium adulescentem Tauromenitanum subphrygii modi sono incitatum spondeo succinente reddiderit mitiorem et sui compotem? nam cum scortum in rivalis domo esset clausum atque ille furens domum vellet amburere, cumque Pythagoras stellarum cursus, ut ei mos, nocturnus inspiceret, ubi intellexit sono Phrygii modi incitatum multis amicorum admonitionibus a facinore noluisse desistere, mutari modum praecepit atque ita furentis animum adulescentis ad statum mentis pacatissimae temperavit. quod scilicet M. Tullius commemorat in eo libro, quem de consiliis suis composuit, aliter quidem, sed hoc modo: sed ut aliqua similitudine adductus maximis minima conferam, ut cum vinolenti adulescentes tibiarum etiam cantu, ut fit, instincti mulieris pudicae fores frangerent, admonuisse tibicinam, ut spondeum caneret, Pythagoras dicitur: quod cum illa fecisset, tarditate modorum et gravitate canentis illorum furentem petulantiam consedisse. Boëtius de Instit. musica I, 1. p. 184 sq. ed. Friedlein. erexisti eius (pulcherrimae famulae) gloriosissimum titulum,

commemorans quod in expositione consiliorum suorum Tullius posuit quia cum vinolenti adulescentes -- petulantiam resedisse. Augustinus contra Iulianum Pelag. V, 5, 23. Tullius libro de consiliis: Tauromenitanum iuvenem libidine flagrantem cum audisset Pythagoras ad ostium amicae meretricis insanire, iussit psaltriam canere per spondeum et ita eum ad sanam mentem revocavit. Vincentius Bellovac. Spec. histor. IV, 24.

4. 'vectigaliorum' Cicero ad Atticum; at enim in ratione consiliorum suorum, sed et de lege agraria vectigalium. Charisius p. 119. P. p. 146, 31. K. (*vectigaliorum Cicero ad Atticum*, *item in ratione cons. suorum* Bruno Naeke.)

5. 'adsidere illum.' Cicero: neque adsidere Gabinium aut alloqui in curia quisquam audebat. Arusianus Messius p. 211. ed. Lind.

Hoc fragmentum nescio quo iure ad librum de consiliis suis retulerit Car. Beier in Fragm. Oratt. p. 196.

Ad hunc librum multi referunt etiam quae *ἀνέκδοτα* dicuntur ad Att. II, 6, 2. et librum *ἀνέκδοτον* ad Att. XIV, 17, 6.

XI. DE VIRTUTIBUS.

1. quattuor virtutes, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, de quibus plenissime in Officiorum libris Tullius disputat, scribens proprium quoque de quattuor virtutibus librum. Hieronymus in Zachariae Prophetae Comm. I, 2. Opp. T. 3. p. 1715. ed. Bened.

2. 'neutiquam' Cicero de senectute (§. 42.). idem *in* commentario de virtutibus: illud neutiquam probantes. Charisius p. 186. P. p. 208, 15. K.

[3. memoria praeteritorum est, non praesentium: nam quidam cum de virtutibus agerent, in quibus est etiam Tullius, in tria ista prudentiam diviserunt, memoriam, intellegentiam, providentiam, memoriam scilicet praeteritis, intellegentiam praesentibus, providentiam rebus tribuentes futuris. Augustinus de Trinit. XIV, 11, 14.]

Hoc fragmentum Patricio auctore ad Ciceronis Hortensium vulgo referunt ob Hortensii fragmentum 40; sed desumptum esse e libro de inventione II, 160. vidit Henr. Meyerus meus.

XII. CHOROGRAPHIA.

Chorographiam haud scio an illud Cicero inscripserit opus geographicum, in quo conficiendo se Caesare et Bibulo coss. (a. u. 695.) elaborare scribit ad Att. II, 4, 3. 6, 1. 7, 1. Praeterea Orellius Savaronem ad Sidonium Apollinarem p. 3. conferri iubet. NOBBE.

quercus, laurus tam secundae quam quartae declinationis inveniuntur. Cicero in chorographia: ibi quercorum rami ad terram iacent, ut sues quasi caprae ex ramis glande pascantur. Priscianus VI, 16, 83.

XIII. ADMIRANDA.

1. Cicero in Admirandis posuit Reatinis tantum paludibus ungulas iumentorum indurari. Plinius N. H. XXXI. §. 12.

2. quaedam terrae imbribus sicciores fiunt, velut in Narniensi agro, quod Admirandis suis inseruit M. Cicero, siccitate lutum fieri prodens, imbre pulverem. Plinius N. H. XXXI. §. 51.

3. haec autem (mustela), quae in domibus nostris oberrat et catulos suos, ut auctor est Cicero, cotidie transfert mutatque sedem, serpentis persequitur. Idem ibid. XXIX. §. 60.

4. feminas omnis ubique visu nocere, quae duplices pupillas habeant, Cicero quoque apud nos auctor est. Idem ibid. VII. §. 18. (cf. Gell. N. A. IX, 4, 8.)

5. in nuce inclusam Iliada Homeri carmen in membrana scriptum tradit Cicero. Idem ibid. §. 85.

6. idem Cicero tradit fuisse qui perviderct CXXXV. M. passuum. Idem ibid. Cf. Cic. Acad. II, 81: 'ille nescio qui, qui in scholis nominari solet, mille et octoginta stadia quod abesset videbat.'

7. M. Tullius Cicero testis est Romanum fuisse civem Naevium Pollionem pede longiorem quam quemquam longissimum. Columella III, 8, 2.

8. Cicero Amyclarum incolas propter nimiam modestiam perisse ait, dum a finitimis accipiunt iniurias et tacent eas. Servius ad Virg. Aen. X, 564.

Hoc fragmentum a me additum poterat etiam ad Chorographiam referri; est autem omnino dubiae fidei. Or.

XIV. PLATONIS TIMAEUS.

Vide vol. VIII. p. 131 sqq.

XV. LOCI PHILOSOPHORUM GRAECORUM A CICERONE IN LATINUM CONVERSI.

a. EX PLATONIS APOLOGIA SOCRATIS.

vadit in eundem carcerem atque in eundem paucis post annis scyphum Socrates, eodem scelere iudicum quo tyrannorum Theramenes. quae est igitur eius oratio, qua facit eum Plato (p. 40. ed. Steph.) usum apud iudices iam morte multatum? magna me inquit spes tenet, iudices, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem; necesse est enim sit alterum de duobus, ut aut sensus omnino omnis mors auferat aut in alium quendam locum ex his locis migretur. quam ob rem, sive sensus exstinguitur morsque ei somno similis est, qui non numquam, etiam sine visis somniorum, placatissimam quietem adfert, di boni, quid lucri est emori! aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur, cui si similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis, quis me beatior? sin vera sunt quae dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas qui e vita excesserunt incolunt, id multo iam beatius est. tene, cum ab iis, qui se iudicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos venire, qui vere iudices appellentur, Minoem, Rhadamanthum, Aeacum, Triptolemum, convenireque eos, qui

iuste et cum fide vixerint: haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? ut vero conloqui cum Orpheo, Musaeo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem aestimatis? equidem saepe emori, si fieri posset, vellem, ut ea, quae dico, mihi liceret invenire. quanta delectatione autem adficerer, cum Palamedem, cum Aiacem, cum alios iudicio iniquo circumventos convenirem! temptarem etiam summi regis, qui maximas copias duxit ad Troiam, et Ulixi Sisyphique prudentiam, nec ob eam rem, cum haec exquirerem, sicut hic faciebam, capite damnarer. ne vos quidem, iudices ii, qui me absolvistis, mortem timueritis. nec enim cuiquam bono mali quicquam evenire potest nec vivo nec mortuo, nec umquam eius res a dis inmortalibus neglegentur, nec mihi ipsi hoc accidit fortuito, nec vero ego iis, a quibus accusatus aut a quibus condemnatus sum, habeo quod suscenseam, nisi quod mihi nocere se crediderunt. et haec quidem hoc modo; nihil autem melius extremo: sed tempus est inquit iam hinc abire, me, ut moriar, vos, ut vitam agatis. utrum autem sit melius, di immortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminem. Cicero Tusc. disp. I, 97—99.

b. EX PLATONIS POLITIA.

1. tum fit illud, quod apud Platonem (Polit. VIII. p. 562. ed. Steph.) est luculente dictum, si modo id exprimere Latine potuero; difficile factu est, sed conabor tamen. cum enim inquit inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti malisque usus ille ministris non modice temperatam, sed nimis meracam libertatem sitiens hausit, tum magistratus et principes, nisi valde lenes et remissi sint et large sibi libertatem ministrent, insequitur, insimulat, arguit; praepotentis, reges, tyrannos vocat. puto enim tibi haec esse nota. 'mihi vero' inquit ille 'notissima.' ergo illa sequuntur: eos, qui pareant principibus, agitari ab eo populo et servos voluntarios appellari; eos autem, qui in magistratu privatorum similes esse velint, eosque privatos, qui efficiant ne quid inter privatum et magistratum differat, ferunt laudibus et mactant honoribus, ut necesse sit in eius modi re publica plena libertatis esse omnia, ut et privata domus omnis vacet dominatione et hoc malum usque ad bestias perveniat, denique ut pater filium metuat, filius patrem neglegat, absit omnis pudor, ut plane liberi sint, nihil intersit civis sit an peregrinus; magister ut discipulos metuat et iis blandiatur spernantque discipuli magistros, adulescentes ut senum sibi pondus adsumant, senes autem ad ludum adulescentium descendant, ne sint iis odiosi et graves: ex

quo fit ut etiam servi se liberius gerant, uxores eodem iure sint quo viri inque tanta libertate canes etiam et equi, aselli denique liberi sic incurrant, ut iis de via decedendum sit. ergo ex hac infinita, inquit, licentia haec summa cogitur, ut ita fastidiosae mollesque mentes evadant civium, ut, si minima vis adhibeatur imperii, irascantur et perferre nequeant; ex quo leges quoque incipiunt neglegere, ut plane sine ullo domino sint. Cic. de re p. I, 66 sq.

2. vide quid Socrates in Platonis Politia (lib. IX. p. 571. ed. Steph.) loquatur. dicit enim: cum dormientibus ea pars animi, quae mentis et rationis sit particeps, sopita langueat, illa autem, in qua feritas quaedam sit atque agrestis inmanitas, cum sit inmoderato extumefacta potu atque pastu, exsultare eam in somno inmoderateque iactari; itaque huic omnia visa obiciuntur a mente ac ratione vacua, ut aut cum matre corpus miscere videatur aut cum quovis alio vel homine vel deo, saepe belua, atque etiam trucidare aliquem et inpie cruentari multaque facere inpure atque taetre cum temeritate et inpudentia. at qui salubri et moderato cultu atque victu quieti se tradiderit, ea parte animi, quae mentis et consilii est, agitata et erecta saturataque bonarum cogitationum epulis, eaque parte animi, quae voluptate alitur, nec inopia enecta nec satietate affluenti — quorum utrumque praestringere aciem mentis solet, sive deest naturae quippiam sive abundat atque affluit — illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exsistit ardor, sedata atque restincta, tum eveniet duabus animi temerariis partibus conpressis, ut illa tertia pars rationis et mentis eluceat et se vegetam ad somniandum acremque praebeat, tum ei visa quietis occurrent tranquilla atque veracia. haec verba ipsa Platonis expressi. Cicero de divinat. I, 60 sq.

C. EX PLATONIS LIBRIS DE LEGIBUS.

agri autem ne consecrentur, Platoni (de legg. XII. p. 955 sq.) prorsus adsentior, qui, si modo interpretari potuero, his fere verbis utitur: terra igitur, ut focus domiciliorum, sacra deorum omnium est; quocirca ne quis iterum idem consecrato. aurum autem et argentum in urbibus et privatim et in fanis invidiosa res est. tum ebur ex inani corpore extractum haud satis castum donum deo. iam aes atque ferrum duelli instrumenta, non fani. ligneum autem quodcumque quis voluerit uno e ligno dicato, itemque lapideum, in delubris communibus; textile ne operosius quam mulieris opus menstruum. color autem albus praecipue decorus deo est cum in ceteris, tum maxime in textili: tincta vero absint nisi a bellicis insignibus. divi-

nissima autem dona aves et formae ab uno pictore uno absolutae die, itemque cetera huius exempli dona sunto. haec illi placent. Cicero de legg. II, 45.

d. EX PLATONIS PHAEDRO.

1. sed si qualis sit animus ipse animus nesciet, dic, quaeso, ne esse quidem se sciet, ne moveri quidem se? ex quo illa ratio nata est Platonis, quae a Socrate est in Phaedro (p. 245. ed. Steph.) explicata, a me autem posita est in sexto libro (§. 27 sq.) de re publica. quod semper movetur aeternum est, quod autem motum adfert alicui quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. solum igitur quod se ipsum movet, quia numquam deseritur a se, numquam ne moveri quidem desinit; quin etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi. principii autem nulla est origo: nam e principio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest: nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde; quod si numquam oritur, ne occidit quidem umquam. nam principium exstinctum nec ipsum ab alio renascetur nec ex se aliud creabit, si quidem necesse est a principio oriri omnia. ita fit ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur; id autem nec nasci potest nec mori, vel concidat omne caelum omnisque natura et consistat necesse est nec vim ullam nanciscatur, qua a primo inpulsa moveatur. cum pateat igitur aeternum id esse, quod a se ipso moveatur, quis est qui hanc naturam animis esse tributam neget? inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo; quod autem est animal, id motu cietur interiore et suo; nam haec est propria natura animi atque vis, quae si est una ex omnibus, quae se ipsa moveat, neque nata certe est et aeterna est. Cicero Tusc. disp. I, 53 sq.

2. Isocrates videtur testimonio Platonis aliorum iudicia debere contemnere: est enim, ut scis, quasi in extrema pagina Phaedri (p. 278 sq. ed. Steph.) his ipsis verbis loquens Socrates: 'adulescens etiam nunc, o Phaedre, Isocrates est; sed quid de illo augurer, libet dicere.' 'quid tandem?' inquit ille. 'maiore mihi ingenio videtur esse, quam ut cum orationibus Lysiae comparetur; praeterea ad virtutem maior indoles, ut minime mirum futurum sit, si, cum aetate processerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc studet, tantum, quantum pueris, reliquis praestet omnibus, qui umquam orationes attigerunt, aut, si contentus his non fuerit, divino aliquo animi motu maiora concupiscat; inest enim natura philosophia in huius

viri mente quaedam. haec de adulescente Socrates auguratur: at ea de seniore scribit Plato et scribit aequalis et quidem exagitator omnium rhetorum hunc miratur unum. Cicero in Oratore §. 41.

e. EX XENOPHONTIS CYRI INSTITUTIONE.

apud Xenophontem (Cyrop. VIII, 7, 17 sqq.) moriens Cyrus maior haec dicit: nolite arbitrari, o mei carissimi filii, me, cum a vobis discessero, nusquam aut nullum fore; nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis, sed eum esse in hoc corpore ex iis rebus, quae gerebam, intellegebatis: eundem igitur esse creditote, etiam si nullum videbitis. nec vero clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quo diutius memoriam sui teneremus. mihi quidem persuaderi numquam potuit animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere, cum excessissent ex eis, emori; nec vero tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset, sed, cum omni admixtione corporis liberatus purus et integer esse coepisset, tum esse sapientem. atque etiam, cum hominis natura morte dissolvitur, ceterarum rerum perspicuum est quo quaeque discedat; abeunt enim illuc omnia, unde orta sunt: animus autem solus nec cum adest nec cum discedit adparet. iam vero videtis nihil esse morti tam simile quam somnum; atqui dormientium animi maxime declarant divinitatem suam; multa enim, cum remissi et liberi sunt, futura prospiciunt: ex quo intellegitur, quales futuri sint, cum se plane corporis vinculis relaxaverint. qua re, si haec ita sunt, sic me colitote, inquit, ut deum: sin una est interiturus animus cum corpore, vos tamen, deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur et regunt, memoriam nostri pie inviolateque servabitis. Cicero de senect. §. 79—81.

f. EX ARISTOTELIS DIALOGO DE PHILOSOPHIA.

praeclare Aristoteles si essent inquit qui sub terra semper habitavissent bonis et inlustribus domiciliis, quae essent ornata signis atque picturis instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exissent umquam supra terram, accepissent autem fama et auditione esse quoddam numen et vim deorum, deinde aliquo tempore patefactis terrae faucibus ex illis abditis sedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent, cum repente terram et maria caelumque vidissent, nubium magnitudinem ventorumque vim cognovissent aspexissentque solem, eiusque cum magnitudinem pulchritudinemque, tum

etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret toto caelo luce diffusa, cum autem terras nox opacasset, tum caelum totum cernerent astris distinctum et ornatum lunaeque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus et occasus atque in omni aeternitate ratos inmutabilisque cursus cum viderent, profecto et esse deos et haec tanta opera deorum esse arbitrarentur. Cicero de deor. nat. II, 95.

g. EX EPICURI LIBRO DE SUMMO BONO.

quid tergiversamur, Epicure, nec fatemur eam nos dicere voluptatem, quam tu idem, cum os perfricuisti, soles dicere? sunt haec tua verba necne? in eo quidem libro, qui continet omnem disciplinam tuam, — fungar enim iam interpretis munere, ne quis me putet fingere — dicis haec: nec equidem habeo quod intellegam bonum illud, detrahens eas voluptates, quae sapore percipiuntur, detrahens eas, quae auditu et cantibus, detrahens eas etiam, quae ex formis percipiuntur oculis, suavis motiones, sive quae aliae voluptates in toto homine gignuntur quolibet sensu. nec vero ita dici potest mentis laetitiam solam esse in bonis; laetantem enim mentem ita novi, spe eorum omnium, quae supra dixi, fore ut natura iis potiens dolore careat. atque haec quidem his verbis, quivis ut intellegat, quam voluptatem norit Epicurus. deinde paulo infra saepe quaesivi inquit ex iis, qui appellabantur sapientes, quid haberent quod in bonis relinquerent, si illa detraxissent, nisi si vellent voces inanis fundere; nihil ab iis potui cognoscere: qui si virtutes ebullire volent et sapientias, nihil aliud dicent nisi eam viam, qua efficiantur eae voluptates, quas supra dixi. quae sequuntur in eadem sententia sunt totusque liber, qui est de summo bono, refertus et verbis et sententiis talibus. Cicero Tusc. disp. III, 41 sq.

h. EX EPICURI SENTENTIIS.

1. video non nullis videri Epicurum, ne in offensionem Atheniensium caderet, verbis reliquisse deos, re sustulisse. itaque in illis selectis eius brevibusque sententiis, quas appellatis *κυρίας δόξας*, haec, ut opinor, prima sententia est: quod beatum et inmortale est, id nec habet nec exhibet cuiquam negotium. Cic. de deor. nat. I, 85. cf. §. 45. Diog. Laërt. X, 139.

2. scripsit (Epicurus) et multis saepe verbis et breviter aperteque in eo libro, quem modo (§. 20.) nominavi, mortem nihil ad nos pertinere; quod enim dissolutum sit, id esse sine sensu, quod autem sine sensu sit, id nihil ad nos pertinere omnino. Cic. de finib. II, 100. Diog. Laërt. X, 139.

3. in alio libro, in quo breviter conprehensis gravissimis sententiis quasi oracula edidisse sapientiae dicitur, scribit his verbis, quae nota tibi profecto, Torquate, sunt: — quis enim vestrum non edidicit Epi-

curi κυρίας δόξας, id est quasi maxime ratas, quia gravissimae sint ad beate vivendum breviter enuntiatae sententiae? — animadverte igitur, rectene hanc sententiam interpreter: si ea, quae sunt luxuriosis efficientia voluptatum, liberarent eos deorum et mortis et doloris metu docerentque, qui essent fines cupiditatum, nihil haberemus, quod reprehenderemus, cum undique conplerentur voluptatibus nec haberent ulla ex parte aliquid aut dolens aut aegrum, id est autem malum. Cic. de finib. II, 21. Diog. Laërt. X, 142.

4. praeclare Epicurus his paene verbis eadem inquit sententia confirmavit animum, ne quod aut sempiternum aut diuturnum timeret malum, quae perspexit in hoc ipso vitae spatio amicitiae praesidium esse firmissimum. Cic. de finib. I, 68. Diog. Laërt. X, 148.

i. EPICURI EPISTOLA AD HERMARCHUM.

audi, ne longe abeam, moriens quid dicat Epicurus, ut intellegas facta eius cum dictis discrepare. Epicurus Hermarcho salutem. cum ageremus inquit vitae beatum et eundem supremum diem, scribebamus haec. tanti aderant vesicae et torminum morbi, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere. compensabatur tamen cum his omnibus animi laetitia, quam capiebam memoria rationum inventorumque nostrorum. sed tu, ut dignum est tua erga me et philosophiam voluntate ab adulescentulo suscepta, fac ut Metrodori tueare liberos. Cic. de finib. II, 96. Diog. Laërt. X, 22.

k. EX EPICURI TESTAMENTO.

quaero autem, quid sit quod, cum dissolutione, id est morte, sensus omnis exstinguatur et cum reliqui nihil sit omnino, quod pertineat ad nos, (Epicurus) tam accurate tamque diligenter caveat et sanciat, ut Amynomachus et Timocrates, heredes sui, de Hermarchi sententia dent quod satis sit ad diem agendum natalem suum quotannis mense Gamelione itemque omnibus mensibus vicensimo die lunae dent ad eorum epulas, qui una secum philosophati sint, ut et sui et Metrodori memoria colatur. Cic. de finib. II, 101. Diog. Laërt. X, 18.

XVI. EDICTUM L. RACILII TR. PL.

exstat libellus Ciceronis, qui ita inscribitur edictum Lucii Racilii tribuni plebi, quod sub nomine ipsius Cicero scripsit in invectionem P. Clodi. Schol. Bob. in or. p. Plancio p. 268, 20 sqq. ed. nostrae.

II. CICERONIS FACETE DICTA.

a. TESTIMONIA.

1. In litteris (tuis) omnia mihi periucunda fuerunt praeter illud, quod parum diligenter possessio salinarum mearum a te procuratore defenditur: ais enim, ut ego discesserim, omnia omnium dicta, in his etiam Sestiana, in me conferri. quid? tu id pateris? non me defendis? non resistis? equidem sperabam ita notata me reliquisse genera dictorum meorum, ut cognosci sua sponte possent. sed quoniam tanta faex est in urbe, ut nihil sit tam *ἀκύθηρον*, quod non alicui venustum esse videatur, pugna, si me amas, nisi acuta *ἀμφιβολία*, nisi elegans *ὑπερβολή*, nisi *παράγραμμα* bellum, nisi ridiculum *παρὰ προσδοκίαν*, nisi cetera, quae sunt a me in secundo libro de oratore disputata de ridiculis, *ἔντεχνα* et arguta adparebunt, ut sacramento contendas mea non esse. Cicero (ad Volumnium) ad fam. VII, 32, 1 sq.

2. liber iste, quem mihi misisti, quantam habet declarationem amoris tui! primum, quod tibi facetum videtur, quicquid ego dixi, quod alii fortasse non item; deinde, quod illa, sive faceta sunt sive sic, fiunt narrante te venustissima; quin etiam ante, quam ad me veniatur, risus omnis paene consumitur. Cicero (ad C. Trebonium) ad fam. XV, 21, 2.

3. ipse Caesar habet peracre iudicium, et ut Servius, frater tuus, quem litteratissimum fuisse iudico, facile diceret 'hic versus Plauti non est, hic est,' quod tritas auris haberet notandis generibus poëtarum et consuetudine legendi, sic audio Caesarem, cum volumina iam confecerit *ἀποφθεγμάτων*, si quod adferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, reicere solere; quod eo nunc magis facit, quia vivunt mecum fere cotidie illius familiares. incidunt autem in sermone vario multa, quae fortasse illis cum dixi nec inlitterata nec insulsa esse videantur: haec ad illum cum reliquis actis perferuntur; ita enim ipse mandavit. sic fit ut, si quid praeterea de me audiat, non audiendum putet. Cicero (ad Paetum) ad fam. IX, 16, 4.

4. animadverto duos, quos eloquentissimos antiqua aetas tulit, comicum Plautum et oratorem Tullium, eos ambos etiam ad iocorum venustatem ceteris praestitisse. Plautus quidem ea re clarus fuit, ut post mortem eius comoediae, quae incertae ferebantur, Plautinae tamen esse de iocorum copia noscerentur. Cicero autem quantum in ea re valuerit quis ignorat qui vel liberti eius libros, quos is de iocis patroni composuit, quos quidam ipsius putant esse, legere curavit? Macrobius Saturn. II, 1, 10 sqq.

5. utinam libertus eius (Ciceronis) Tiro aut alius, quisquis fuit, qui tris de hac re libros edidit, parcius dictorum numero indulsissent et plus iudicii in eligendis quam in congerendis studii adhibuissent: minus obiectus calumniantibus foret. Quintilianus Inst. or. VI, 3, 5.

b. DICTA.

1. Cicero ab Androne quodam Laodiceno salutatus cum causam adventus requisisset comperissetque, nam ille se legatum de libertate patriae ad Caesarem venisse respondit, ita expressit publicam servitutem: *ἐὰν ἐπιτύχῃς, καὶ περὶ ἡμῶν πρέσβευσον.* Macrobius Saturn. II, 3, 12.

2. in Caesarem quoque mordacitas Ciceronis dentes suos strinxit. nam post victoriam Caesaris interrogatus, cur in electione partis errasset, respondit: praecinctura me decepit, iocatus in Caesarem, qui ita toga praecingebatur, ut trahendo laciniam velut mollis incederet. Macrobius Saturn. II, 3, 9.

3. cum Laberius in fine ludorum anulo aureo honoratus a Caesare e vestigio in quattuordecim ad spectandum transiit violato ordine et cum detrectatus est eques Romanus et comminus remissus, ait Cicero praetereunti Laberio et sedile quaerenti: recepissem te, nisi anguste sederem, simul et illum respuens et in novum senatum iocatus, cuius numerum Caesar ultra fas auxerat. nec impune; respondit enim Laberius: 'mirum, si anguste sedes, qui soles duabus sellis sedere.' Idem ibid. II, 3, 10.

4. Cicero facilitatem Caesaris in adlegando senatu irrisit palam. nam cum ab hospite suo P. Mallio rogaretur ut decurionatum privigno eius expediret, adsistente frequentia dixit: Romae, si vis, habebit: Pompeiis difficile est. Idem ibid. II, 3, 11.

5. nec Q. Ciceroni fratri circa similem mordacitatem pepercit. nam cum in ea provincia, quam ille rexerat, vidisset clipeatam imaginem eius ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam — erat autem Quintus ipse staturae parvae — ait: frater meus dimidius maior est quam totus. Idem ibid. II, 3, 4.

6. 7. quale non hoc modo paene et ipsum scurrile Ciceronis est in Isauricum: miror quid sit, quod pater tuus, homo constantissimus, te nobis varium reliquit. sed illud ex eodem genere praeclarum: cum obiceret Miloni accusator in argumentum factarum Clodio insidiarum, quod Bovillas ante horam nonam devertisset, ut exspectaret, dum Clodius a villa sua exiret, et identidem interrogaret, quo tempore Clodius occisus esset, respondit: 'sero.' Quintilianus VI, 3, 48sq.

8. idem per allegorian M. Caelium, melius obicientem crimina quam defendentem bonam dextram, malam sinistram habere dicebat. Quintilianus VI, 3, 69. cf. Cicero Brut. §. 273.

9. Cicero dixit, cum is candidatus, qui coci filius habebatur, coram eo suffragium ab alio peteret: ego quoque tibi favebo. Quintilianus VI, 3, 47. et Ciceronis dictum refertur in eum, qui coqui filius secum causas agebat: tu quoque aderas causae. nam apud veteres 'coquus' non per c litteram, sed per q scribebatur. Donatus ad Terent. Adelph. III, 3, 69.

10. M. Cicero cum apud Damasippum cenaret et ille mediocri vino posito diceret 'bibite Falernum hoc, annorum quadraginta est', bene inquit aetatem fert. Macrobius Saturn. II, 3, 2.

11. emendavit hoc etiam urbane in Hirtio Cicero, qui, cum in Pansam declamans filium a matre decem mensibus in utero latum esse dixisset, quid? aliae inquit in perula solent ferre? Quintilianus VIII, 3, 54.

12. idem cum Lentulum generum suum, exiguae staturae hominem, longo gladio accinctum vidisset, quis inquit generum meum ad gladium adligavit? Macrobius II, 3, 3.

13. adiuvant urbanitatem et versus commode positi, quod fit gratius, si qua etiam ambiguitate conditur, ut Cicero in Lartium, hominem callidum et versutum, cum is in quadam causa suspectus esset:

nisi si qua Ulixes intervasit Lartius. Quintilianus VI, 3, 96.

14. Octavius, qui natu nobilis videbatur, Ciceroni recitanti ait: 'non audio quae dicis.' ille respondit: certe solebas bene foratas habere aures. hoc eo dictum est, quia Octavius Libys oriundus dicebatur, quibus mos est aurem forare. Macrobius Saturn. VII, 3, 7 Plutarch. Cic. c. 26.

15. Cicero, cum Piso gener eius mollius incederet, filia autem concitatius, ait filiae: ambula tamquam vir. Macrobius Saturn. II, 3, 16.

16. pervenit res usque ad aenigma, quale est Ciceronis in Plaetorium, Fontei accusatorem, cuius matrem dixit, dum vixisset, ludum, postquam mortua esset, magistros habuisse. dicebantur autem, dum vixit, infames feminae convenire ad eam solitae, post mortem bona eius venibant. Quintilianus VI, 3, 51. Cf. supra p. 3. n. 23.

17. 18. 19. 20. Pompeius Ciceronis facetiarum inpatiens fuit, cuius haec dicta ferebantur: ego vero quem fugiam habeo, quem sequar non habeo. sed et cum ad Pompeium venisset, dicentibus sero eum venisse respondit: minime sero veni; nam nihil hic paratum video. deinde interroganti Pompeio, ubi gener eius Dolabella esset, respondit: cum socero tuo. et cum donasset Pompeius transfugam civitate Romana: hominem bellum! inquit Gallis civitatem promittit alienam, qui nobis nostram non potest reddere. Macrobius Saturn. II, 3, 7 sq.

21. Caninius quoque Rebilus, qui uno die, ut iam Servius rettulit, consul fuit, rostra cum ascendisset, pariter honorem iniit consulatus et eieravit; quod Cicero omni gaudens occasione urbanitatis increpuit: λογοθεώρητος est Caninius consul, et deinde: hoc consecutus est Rebilus, ut quaereretur, quibus consulibus consul fuerit. dicere praeterea non destitit: vigilantem habemus consulem Caninium, qui in consulatu suo somnum non vidit. Macrobius Saturn. II, 3, 6. cf. Cicero ad fam. VII, 30, 1. de hoc (Mario) quid amplius requiratur ignoro, nisi quod eum insigniorem brevissimum fecit imperium. nam ut consul ille, qui sex pomeridianis horis consulatum suffectus tenuit, a M. Tullio tali aspersus est ioco: consulem habuimus tam severum tamque censorium, ut in eius magistratu nemo pranderit, nemo cenaverit, nemo dormierit: de hoc etiam dici posse videtur, qui una die factus est imperator, alia die visus est imperare, tertia interemptus est. Trebellius Pollio in Mario, triginta tyrannorum septimo, p. 499. ed. Obr.

22. nonnumquam elevandae invidiae gratia quae asperius dicta sunt eluduntur, ut a Cicerone Triarius. nam cum Scauri columnas per urbem plaustris vectas esse dixit, ego porro inquit, qui Albanas habeo columnas, clitellis eas adportavi. Quintilianus V, 13, 40. cf. Cic. p. Scauro §. 45.

23. elevandi genus est etiam causarum relatio, qua Cicero est usus in Vatinium, qui pedibus aeger cum vellet videri commodioris valetudinis factus et diceret se iam bina milia ambulare, dies enim inquit longiores sunt. Quintilianus VI, 3, 77.

24. in consulatu Vatinii, quem paucis diebus gessit, notabilis Ciceronis urbanitas circumferebatur: magnum ostentum inquit anno Vatinii factum est, quod illo consulatu nec bruma nec ver nec aestas nec autumnus fuit. querenti deinde Vatinio, quod gravatus esset domum ad se infirmatum venire, respondit: volui in consulatu tuo venire, sed nox me comprehendit. ulcisci autem se Cicero videbatur, ut qui respondisse sibi Vatinium meminerat, cum umeris se rei publicae de exsilio reportatum gloriaretur: 'unde ergo tibi varices?' Macrobius Saturn. II, 3, 5.

25. idem Cicero de Pisone genero et M. Lepido lepidissime cavillatus est. Idem ibid. §. 13.

26. τούς γε τῷ βοᾶν μεγάλα χρωμένους ῥήτορας ἐπισκώπτων ἔλεγε (Κικέρων) δι' ἀσθένειαν ἐπὶ τὴν κραυγὴν ὥσπερ χωλοὺς ἐφ' ἵππων πηδᾶν. ἡ δὲ περὶ τὰ σκώμματα καὶ τὴν παιδιὰν ταύτην εὐτραπελία δικανικὸν μὲν ἐδόκει καὶ γλαφυρόν, χρώμενος δ' αὐτῇ κατακόρως πολλοὺς ἐλύπει καὶ κακοηθείας ἐλάμβανε δόξαν. Plutarch. Cic. c. 5.

27. πολλα χαρίεντα διαμνημονεύεται καὶ περὶ ἐκείνην αὐτοῦ (Κικέρωνος κατὰ Βέῤῥου) τὴν δίκην. Βέῤῥην γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὸν ἐκτετμημένον χοῖρον καλοῦσιν. ὡς οὖν ἀπελευθερικὸς ἄνθρωπος ἔνοχος τῷ ἰουδαΐζειν, ὄνομα Καικίλιος, ἐβούλετο παρωσάμενος τοὺς Σικελιώτας κατηγορεῖν τοῦ Βέῤῥου τί Ἰουδαίῳ πρὸς χοῖρον; ἔφη ὁ Κικέρων. Idem Cic. c. 7.

28. ἦν δὲ τῷ Βέῤῥῃ ἀντίπαις υἱὸς οὐκ ἐλευθερίως δοκῶν προΐστασθαι τῆς ὥρας. λοιδορηθεὶς οὖν ὁ Κικέρων εἰς μαλακίαν ὑπὸ τοῦ Βέῤῥου τοῖς υἱοῖς εἶπεν ἐντὸς θυρῶν δεῖ λοιδορεῖσθαι.' Idem ibid.

29. τοῦ δὲ ῥήτορος Ὁρτησίου τὴν μὲν εὐθεῖαν τῷ Βέῤῥῃ συνειπεῖν μὴ τολμήσαντος, ἐν δὲ τῷ τιμήματι πεισθέντος παραγενέσθαι καὶ λαβόντος ἐλεφαντίνην Σφίγγα μισθὸν εἰπέ τι πλαγίως ὁ Κικέρων πρὸς αὐτόν· τοῦ δὲ φήσαντος αἰνιγμάτων λύσεων ἀπείρως ἔχειν· καὶ μὴν ἐπὶ τῆς οἰκίας τὴν Σφίγγα ἔχεις. Idem ibid. ex historia etiam ducere urbanitatem eruditum est, ut Cicero fecit, cum ei testem in iudicio Verris roganti dixisset Hortensius 'non intellego haec aenigmata,' atqui debes inquit, cum Sphingem domi habeas. acceperat autem ille a Verre Sphingem aeneam magnae pecuniae. Quintilianus VI, 3, 98. signis quae vocant Corinthia plerique in tantum capiuntur, ut secum circumferant, sicut Hortensius orator Sphingem Verri reo ablatam, propter quam Cicero illo iudicio in altercatione neganti ei aenigmata se intellegere respondit debere, quoniam Sphingem domi haberet. Plinius N. H. XXXIV, 48.

30. μέλλων δὲ Κράσσος εἰς Συρίαν ἀπαίρειν ἐβούλετο τὸν Κικέρωνα μᾶλλον αὐτῷ φίλον ἢ ἐχθρὸν εἶναι, καὶ φιλοφρονούμενος ἔφη βούλεσθαι δειπνῆσαι παρ' αὐτῷ, κἀκεῖνος ὑπεδέξατο προθύμως. ὀλίγαις δ' ὕστερον ἡμέραις περὶ Βατινίου φίλων τινῶν ἐντυγχανόντων ὡς μνωμένου διαλύσεις καὶ φιλίαν — ἦν γὰρ ἐχθρός — οὐ δήπου καὶ Βατίνιος εἶπε δειπνῆσαι παρ' ἐμοὶ βούλεται; Plutarch. Cic. c. 26.

31. *Βατίνιον ἔχοντα χοιράδας ἐν τῷ τραχήλῳ καὶ λέγοντα δίκην οἰδοῦντα ῥήτορα προσεῖπεν. ἀκούσας δ' ὅτι τέθνηκεν, εἶτα μετὰ μικρὸν πυθόμενος σαφῶς ὅτι ζῇ,* κακὸς τοίνυν ἀπόλοιτο κακῶς ὁ ψευσάμενος. Plutarch. Cic. c. 26.

32. *ἐπεὶ δὲ Καίσαρα ψηφισαμένῳ τὴν ἐν Καμπανίᾳ χώραν κατανεμηθῆναι τοῖς στρατιώταις πολλοὶ μὲν ἐδυσχέραινον ἐν τῇ βουλῇ, Λεύκιος δὲ Γέλλιος ὁμοῦ τι πρεσβύτατος ὢν εἶπεν, ὡς οὐ γενήσεται τοῦτο ζῶντος αὐτοῦ,* περιμείνωμεν *εἶπεν ὁ Κικέρων,* μακρὰν γὰρ οὐκ αἰτεῖται Γέλλιος ὑπέρθεσιν. Idem ibid.

33. *Μετέλλου δὲ Νέπωτος εἰπόντος, ὅτι πλείονας καταμαρτυρῶν ἀνῄρηκεν ἢ συνηγορῶν σέσωκεν,* ὁμολογῶ γάρ *ἔφη* πίστεως ἐν ἐμοὶ πλέον ἢ δεινότητος εἶναι. Idem ibid.

34. *νεανίσκου δέ τινος αἰτίαν ἔχοντος ἐν πλακοῦντι φάρμακον τῷ πατρὶ δεδωκέναι θρασυνομένου καὶ λέγοντος, ὅτι λοιδορήσει τὸν Κικέρωνα,* τοῦτο *ἔφη* παρὰ σοῦ βούλομαι μᾶλλον ἢ πλακοῦντα. Idem ibid.

35. *Ποπλίου δὲ Σηστίου συνήγορον μὲν αὐτὸν ἔν τινι δίκῃ παραλαβόντος μεθ' ἑτέρων, αὐτοῦ δὲ πάντα βουλομένου λέγειν καὶ μηδενὶ παριέντος εἰπεῖν, ὡς δῆλος ἦν ἀφιέμενος ὑπὸ τῶν δικαστῶν ἤδη τῆς ψήφου φερομένης,* χρῶ σήμερον *ἔφη* τῷ καιρῷ, Σήστιε· μέλλεις γὰρ αὔριον ἰδιώτης εἶναι. Idem ibid.

36. *Πόπλιον δὲ Κώνσταν νομικὸν εἶναι βουλόμενον, ὄντα δ' ἀμαθῆ καὶ ἀφυῆ, πρός τινα δίκην ἐκάλεσε μάρτυρα. τοῦ δὲ μηδὲν εἰδέναι φάσκοντος* ἴσως *ἔφη* δοκεῖς περὶ τῶν νομικῶν ἐρωτᾶσθαι. Idem ibid.

37. *Μετέλλου δὲ Νέπωτος ἐν διαφορᾷ τινι πολλάκις λέγοντος* τίς σοῦ πατήρ ἐστιν; *ὁ Κικέρων* σοὶ ταύτην *ἔφη* τὴν ἀπόκρισιν ἡ μήτηρ χαλεπωτέραν ἐποίησεν. *ἐδόκει δ' ἀκόλαστος ἡ μήτηρ εἶναι τοῦ Νέπωτος, αὐτὸς δέ τις εὐμετάβολος.* Idem ibid.

38. *καί ποτε τὴν δημαρχίαν ἀπολιπὼν ἄφνω πρὸς Πομπήϊον ἐξέπλευσεν εἰς Συρίαν, εἶτ' ἐκεῖθεν ἐπανῆλθεν ἀλογώτερον. θάψας δὲ Φίλαγρον τὸν καθηγητὴν ἐπιμελέστερον ἐπέστησεν αὐτοῦ τῷ τάφῳ κόρακα λίθινον. καὶ ὁ Κικέρων* τοῦτ' *ἔφη* σοφώτερον ἐποίησας· πέτεσθαι γάρ σε μᾶλλον ἢ λέγειν ἐδίδαξεν. Idem ibid.

39. *ἐπεὶ δὲ Μάρκος Ἄππιος ἔν τινι δίκῃ προοιμιαζόμενος εἶπε φίλον αὐτοῦ δεδεῆσθαι παρασχεῖν ἐπιμέλειαν καὶ λογιότητα καὶ πίστιν,* εἶθ' οὕτως *ἔφη* σιδηροῦς γέγονας ἄνθρωπος, ὥστε μηδὲν ἐκ τοσούτων ὧν ᾐτήσατο ὁ φίλος παρασχεῖν; Idem ibid.

40. *Μάρκον Ἀκυίνιον ἔχοντα δύο γαμβροὺς φυγάδας Ἄδραστον ἐκάλει.* Plutarch. Cic. c. 27.

41. *Λευκίου δὲ Κόττα τιμητικὴν ἔχοντος ἀρχήν, φιλοινοτάτου δ' ὄντος, ὑπατείαν μετιὼν ὁ Κικέρων ἐδίψησε, καὶ τῶν φίλων κύκλῳ περιστάντων, ὡς ἔπινεν,* ὀρθῶς φοβεῖσθε *ἔφη* μή μοι γένοιτο χαλεπὸς ὁ τιμητής, ὅτι ὕδωρ πίνω. Idem ibid.

42. *Βοκωνίῳ δ' ἀπαντήσας ἄγοντι μεθ' ἑαυτοῦ τρεῖς ἀμορφοτάτας θυγατέρας ἀνεφθέγξατο·*

Φοῖβου ποτ' οὐκ ἐῶντος ἔσπειρεν τέκνα. Idem ibid.

43. *Μάρκου δὲ Γελλίου δοκοῦντος οὐκ ἐξ ἐλευθέρων γεγονέναι, λαμπρᾷ δὲ τῇ φωνῇ καὶ μεγάλῃ γράμματα πρὸς τὴν σύγκλητον ἐξαναγνόντος, μὴ θαυμάζετε εἶπε, καὶ αὐτὸς εἷς ἐστι τῶν ἀναπεφωνηκότων.* Plutarch. Cic. c. 27.

44. *ἐπεὶ δὲ Φαῦστος ὁ Σύλλα τοῦ μοναρχήσαντος ἐν Ῥώμῃ καὶ πολλοὺς ἐπὶ θανάτῳ προγράψαντος ἐν δανείοις γενόμενος καὶ πολλὰ τῆς οὐσίας διασπαθήσας ἀπαρτίαν προέγραψε, ταύτην ἔφη μᾶλλον αὐτῷ τὴν προγραφὴν ἀρέσκειν ἢ τὴν πατρῴαν.* Idem ibid.

I. FRAGMENTA POËMATUM.

I. VERSUS HOMERICI A CICERONE IN LATINUM CONVERSI.

a. EX ILIADE.

1. Illud mirarer, si crederem, quod apud Homerum Calchantem dixisti ex passerum numero belli Troiani annos auguratum; de cuius coniectura sic apud Homerum, ut nos otiosi convertimus, loquitur Agamemnon:

Ferte, viri, et duros animo tolerate labores,
auguris ut nostri Calchantis fata queamus
scire ratosne habeant an vanos pectoris orsus.
namque omnes memori portentum mente retentant,
qui non funestis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primum ut vestita est classibus Aulis,
quae Priamo cladem et Troiae pestemque ferebant,
nos circum latices gelidos fumantibus aris,
aurigeris divom placantes numina tauris,
sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai,
vidimus inmani specie tortuque draconem
terribilem, Iovis ut pulsu penetraret ab ara:
qui platani in ramo foliorum tegmine saeptos
corripuit pullos; quos cum consumeret octo,
nona super tremulo genetrix clangore volabat,
cui ferus inmani laniavit viscera morsu.
hunc, ubi tam teneros volucris matremque peremit,
qui luci ediderat genitor Saturnius idem
abdidit et duro formavit tegmine saxi.
nos autem timidi stantes mirabile monstrum
vidimus in mediis divom versarier aris.
tum Calchas haec est fidenti voce locutus:
quidnam torpentes subito obstipuistis Achivi?
nobis haec portenta deum dedit ipse creator
tarda et sera nimis, sed fama ac laude perenni.
nam quot avis taetro mactatas dente videtis,

tot nos ad Troiam belli exanclabimus annos.
quae decumo cadet et poena satiabit Achivos.
edidit haec Calchas, quae iam matura videtis.

Cicero de divinat. II, 63 sq. Hom. Iliad. II, 299—330.

2. ex hoc evenit ut in animi doloribus alii solitudines captent, ut ait Homerus de Bellerophonte,

qui miser in campis maerens errabat Aleïs,
ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Cicero Tusc. disp. III, 63. Hom. Iliad VI, 201 sq.

3. hic situs est vitae iam pridem lumina linquens,
qui quondam Hectoreo perculsus concidit ense.
fabitur haec aliquis, mea semper gloria vivet.

Cicero de gloria l. II. Hom. Iliad. VII, 89—91. cf. supra p. 70. n. 9.

4. Homericus Aiax apud Achillem querens de ferocitate Troianorum nescio quid hoc modo nuntiat:

prospera Iuppiter his dextris fulgoribus edit.

Cicero de divinat. II, 82. Hom. Iliad. IX, 236.

5. est apud Platonem Socrates, cum esset in custodia publica, dicens Critoni suo familiari sibi post tertium diem esse moriendum: vidisse se in somnis pulchritudine eximia feminam, quae se nomine appellans diceret Homericum quendam eius modi versum:

tertia te Phthiae tempestas laeta locabit.

Cicero de divinat. I, 52. Hom. Iliad. IX, 363.

6. non inscite Heracleotes Dionysius ad ea disputat, quae apud Homerum Achilles queritur, hoc, ut opinor, modo:

corque meum penitus turgescit tristibus iris,
cum decore atque omni me orbatum laude recordor.

Cicero Tusc. disp. III, 18. Hom. Iliad. IX, 646—648.

7. apud Homerum cotidianae neces interitusque multorum sedationem maerendi adferunt, apud quem ita dicitur:

namque nimis multos atque omni luce cadentis
cernimus, ut nemo possit maerore vacare.
quo magis est aequum tumulis mandare peremptos
firmo animo et luctum lacrimis finire diurnis.

Cicero Tusc. disp. III, 65. Hom. Iliad. XIX, 226—229.

b. EX ODYSSEA.

1. ita invitant (Sirenes) Ulixem — nam verti, ut quaedam Homeri, sic istum ipsum locum —:

o decus Argolicum, quin puppim flectis, Ulixes,
auribus ut nostros possis agnoscere cantus!
nam nemo haec umquam est transvectus caerula cursu,
quin prius astiterit vocum dulcedine captus,
post, variis avido satiatus pectore Musis,

doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
nos grave certamen belli clademque tenemus,
Graecia quam Troiae divino numine vexit,
omniaque e latis rerum vestigia terris.

Cicero de finib. V, 49. Hom. Odyss. XII, 184—191.

2. illi quoque versus Homerici huic sententiae suffragantur, quos Cicero in Latinum vertit:

tales sunt hominum mentes, quali pater ipse
Iuppiter auctiferas lustravit lumine terras.

Augustinus de civit. dei V, 8. Hom. Odyss. XVIII, 136 sq. Cf. vol. VII. p. 233. n. 3.

II. VERSUS POETARUM SCENICORUM GRAECORUM A CICERONE LATINE EXPRESSI.

a. EX AESCHYLO.

1. Prometheus ille Aeschyli, cui cum dictum esset

atqui Prometheu, te hoc tenere existimo,
mederi posse rationem iracundiae,

respondit

si quidem qui tempestivam medicinam admovens
non adgravescens volnus inlidat manu.

Cicero Tusc. disp. III, 76. Aeschyli Prometh. vinct. v. 377—380.

2. veniat Aeschylus, non poëta solum, sed etiam Pythagoreus; sic enim accepimus: quo modo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excipit ob furtum Lemnium!

unde ignis cluet mortalibus clam
divisus: eum doctus Prometheus
clepsisse dolo poenasque Iovi
fato expendisse supremo.

has igitur poenas pendens, adfixus ad Caucasum, dicit haec:

Titanum suboles, socia nostri sanguinis,
generata Caelo, aspicite religatum asperis
vinctumque saxis, navem ut horrisono freto
noctem paventes timidi adnectunt navitae.
Saturnius me sic infixit Iuppiter,
Iovisque numen Mulciberi adscivit manus.
hos ille cuneos fabrica crudeli inserens
perrupit artus: qua miser sollertia
transverberatus castrum hoc Furiarum incolo.
iam tertio me quoque funesto die
tristi advolatu aduncis lacerans unguibus
Iovis satelles pastu dilaniat fero.
tum iecore opimo farta et satiata adfatim
clangorem fundit vastum et sublime avolans
pinnata cauda nostrum adulat sanguinem.

cum vero adesum inflatu renovatum est iecur,
tum rursum taetros avida se ad pastus refert.
sic hanc custodem maesti cruciatus alo,
quae me perenni vivum foedat miseria.
namque, ut videtis, vinclis constrictus Iovis
arcere nequeo diram volucrem a pectore.
sic me ipse viduus pestis excipio anxias,
amore mortis terminum anquirens mali.
sed longe a leto numine aspellor Iovis
atque haec vetusta saeclis glomerata horridis
luctifica clades nostro infixa est corpori,
e quo liquatae solis ardore excidunt
guttae, quae saxa adsidue instillant Caucasi.

Cicero Tusc. II, 23—25. ex Aeschyli Prometheo soluto. (fragm. 179. Dind.)

b. EX SOPHOCLE.

1. videamus Herculem ipsum, qui tum dolore frangebatur, cum inmortalitatem ipsa morte quaerebat: quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis edit! cui cum Deianira sanguine Centauri tinctam tunicam induisset inhaesissetque ea visceribus, ait ille:

o multa dictu gravia, perpessu aspera,
quae corpore exanclata atque animo pertuli!
nec mihi Iunonis terror inplacabilis
nec tantum invexit tristis Eurystheus mali,
quantum una vaecors Oenei partu edita.
haec me inretivit veste furiali inscium,
quae lateri inhaerens morsu lacerat viscera,
urguensque graviter pulmonum haurit spiritus:
iam decolorem sanguinem omnem exsorbuit.
sic corpus clade horribili absumptum extabuit:
ipse inligatus peste interemor textili.
hos non hostilis dextra, non Terra edita
moles Gigantum, non biformato impetu
Centaurus ictus corpori inflixit meo,
non Graia vis, non barbara ulla inmanitas,
non saeva terris gens relegata ultimis,
quas peragrans undique omnem ecferitatem expuli,
sed feminae vir feminea interemor manu.
o nate, vere hoc nomen usurpa patri,
neve occidentem matris superet caritas.
huc adripe ad me manibus abstractam piis:
iam cernam mene an illam potiorem putes.
perge, aude, nate! inlacrima patris pestibus,
miserere: gentes nostras flebunt miserias.

heu! virginalem me ore ploratum edere,
quem vidit nemo ulli ingemescentem malo!
ecfeminata virtus adflicta occidit.
accede, nate, adsiste, miserandum aspice
eviscerati corpus laceratum patris!
videte, cuncti, tuque, caelestum sator,
iace, obsecro, in me vim coruscam fulminis!
nunc, nunc dolorum anxiferi torquent vertices,
nunc serpit ardor. o ante victrices manus,
o pectora, o terga, o lacertorum tori,
vestrone pressu quondam Nemeaeus leo
frendens efflavit graviter extremum halitum?
haec dextra Lernam taetra mactata excetra
pacavit, haec bicorporem adflixit manum,
Erymanthiam haec vastificam abiecit beluam,
haec e Tartarea tenebrica abstractum plaga
tricipitem eduxit Hydra generatum canem,
haec interemit tortu multiplicabili
draconem, auriferam obtutu adservantem arborem.
multa alia victrix nostra lustravit manus,
nec quisquam e nostris spolia cepit laudibus.

possumus nos contemnere dolorem, cum ipsum Herculem tam intoleranter dolere videamus? Cicero Tusc. disp. II, 20—22. Sophocl. Trachin. v. 1046—1102.

2. Oileus ille apud Sophoclem, qui Telamonem antea de Aiacis morte consolatus esset, is, cum audivisset de suo, fractus est; de cuius commutata mente sic dicitur:

nec vero tanta praeditus sapientia
quisquam est, qui aliorum aerumnam dictis adlevans
non idem, cum fortuna mutata impetum
convertat, clade subita frangatur sua,
ut illa ad alios dicta et praecepta excidant.

Cicero Tusc. disp. III, 71. Sophocl. Aiac. Locr. fr. 14. Dind.

C. EX EURIPIDE.

1. scite Euripides:

iuravi lingua, mentem iniuratam gero.

Cicero de offic. III, 108. Eurip. Hippol. v. 612.

2. socer in ore semper Graecos versus de Phoenissis habebat, quos dicam ut potero, incondite fortasse, sed tamen ut res possit intellegi:

nam si violandum est ius, regnandi gratia
violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Cicero de offic. III, 82. Eurip. Phoeniss. v. 524 sq.

3. non sine causa, cum Orestam fabulam doceret Euripides, primos tris versus revocasse dicitur Socrates:

neque tam terribilis ulla fando oratio est
nec sors nec ira caelitum invectum malum,
quod non natura humana patiendo ecferat.

Cicero Tusc. disp. IV, 63. Eurip. Orest. v. 1—3.

4. nec male Euripides: concludam, si potero, Latine; Graecum enim hunc versum nostis omnes:

suavis laborum est praeteritorum memoria.

Cicero de finib. II, 105. Eurip. Andromed. fr. 15. Dind.

5. praemeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum, quae venientia longe ante videris. itaque apud Euripidem a Theseo dicta laudantur; licet enim, ut saepe facimus, in Latinum illa convertere:

nam qui haec audita a docto meminissem viro,
futuras mecum commentabar miserias:
aut mortem acerbam aut exsili maestam fugam
aut semper aliquam molem meditabar mali,
ut, si qua invecta diritas casu foret,
ne me inparatum cura laceraret repens.

quod autem Theseus a docto se audisse dicit, id de se ipso loquitur Euripides; fuerat enim auditor Anaxagorae, quem ferunt nuntiata morte filii dixisse 'sciebam me genuisse mortalem.' Cicero Tusc. disp. III, 29. 58. Eurip. Thes. fr. 5. Dind.

6. adfertur etiam de Sileno fabella quaedam, qui, cum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur: docuisse regem non nasci homini longe optimum esse, proximum autem quam primum mori. qua est sententia in Cresphonte usus Euripides:

nam nos decebat coetus celebrantis domum
lugere, ubi esset aliquis in lucem editus,
humanae vitae varia reputantis mala:
at, qui labores morte finisset gravis,
hunc omni amicos laude et laetitia exsequi.

Cicero Tusc. disp. I, 114 sq. Eurip. Cresph. fr. 13. Dind.

7. Carneades reprehendere Chrysippum solebat laudantem Euripideum carmen illud:

mortalis nemo est, quem non attingat dolor
morbusque; multis sunt humandi liberi,
rursum creandi, morsque est finita omnibus,
quae generi humano angorem nequiquam adferunt.
reddenda terrae est terra, tum vita omnibus
metenda, ut fruges: sic iubet necessitas.

Cicero Tusc. disp. III, 59. Eurip. Hypsip. fr. 6. Dind.

8. idque indicatur eorum patientia, qui, cum multa sint saepe perpessi, facilius ferunt quicquid accidit obduruisseque iam sese contra fortunam arbitrantur, ut ille apud Euripidem:

si mihi nunc tristis primum inluxisset dies
nec tam aerumnoso navigavissem salo,
esset dolendi causa, ut iniecto eculei

freno repente tactu exagitantur novo;
sed iam subactus miseriis obtorpui.

Cicero Tusc. disp. III, 67. Eurip. Aeol. fr. 19. Dind. Nauckius hoc fragmentum ad Euripidis Phrixum retulit.

9. Euripides, ut multa praeclare, sic hoc breviter:

vides sublime fusum, inmoderatum aethera,
qui terram tenero circumiectu amplectitur?
hunc summum habeto divum, hunc perhibeto Iovem.

Cicero de deor. nat. II, 65. Eurip. fragm. inc. 1. Dind.

10. est quidam Graecus volgaris in hanc sententiam versus:

bene qui coniciet, vatem hunc perhibebo optimum.

Cicero de divinat. II, 12. Eurip. fragm. inc. 85. Dind.

d. EX ARISTOPHANE.

bene illo Graecorum proverbio praecipitur:

quam quisque norit artem, in hac se exerceat.

Cicero Tusc. disp. I, 41. Aristoph. Vesp. v. 1431

III. VARII VERSICULI GRAECI A CICERONE IN LATINUM CONVERSI.

1. quae tandem est Epicharmi ista sententia?

emori nolo, sed me esse mortuum nihili aestimo.

Cicero Tusc. disp. I, 15. Sext. Empir. adv. mathem. I, 273.

2. simile quiddam est in Consolatione Crantoris. ait enim Terinaeum quendam Elysium, cum graviter filii mortem maereret, venisse in psychomantium quaerentem, quae fuisset tantae calamitatis causa; huic in tabellis tris huius modi versiculos datos:

ignaris homines in vita mentibus errant:
Euthynous potitur, fatorum numine, leto.
sic fuit utilius finiri ipsique tibique.

Cicero Tusc. disp. I, 115. Plutarchus Consol. ad Apollon. p. 109.

3. melior Ennii quam Solonis oratio. hic enim noster 'nemo me lacrimis decoret' inquit 'nec funera fletu faxit!' at vero ille sapiens:

mors mea ne careat lacrimis: linquamus amicis
maerorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Cicero Tusc. disp. I, 117. (de senect. §. 73.) Solon. fr. 21. Schneidew.

4. est in aliqua vita praedicabile aliquid et gloriandum ac prae se ferendum, ut Epaminondas:

consiliis nostris laus est attonsa Laconum.

Cicero Tusc. disp. V, 49. Pausan. IX, 15, (4.) 6.

5. si nihil fit extra fatum, nihil levari re divina potest. -- hoc idem ignificat Graecus ille in eam sententiam versus:

quod fore paratum est, id summum exsuperat Iovem.

Cicero de divinat. II, 25.

6. obiciuntur etiam saepe formae, quae reapse nullae sunt, speciem

autem offerunt: quod contigisse Brenno dicitur eiusque Gallicis copiis, cum fano Apollinis Delphici nefarium bellum intulisset. tum enim ferunt ex oraclo ecfatam esse Pythiam:

ego providebo rem istam et albae virgines.

ex quo factum ut viderentur virgines ferre arma contra et nive Gallorum obrueretur exercitus. Cicero de divinat. I, 81. Suidas s. v. *Ἐμοὶ μελήσει ταῦτα καὶ λευκαῖς κόραις.*

7. cum illa sors edita est opulentissimo regi Asiae,

Croesus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim,

hostium vim se perversurum putavit, pervertit autem suam: utrum igitur eorum accidisset, verum oraculum fuisset. Cicero de divinat. II, 115 sq. Suidas s. v. *Κροῖσος.*

8. valde Heraclitus obscurus, minime Democritus: num igitur conferendi? mea causa me mones quod non intellegam? quid me igitur mones? ut si quis medicus aegroto imperet ut sumat

terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam

potius quam hominum more cocleam diceret. Cicero de divinat. II, 133. Athenaeus II, 63.

IV. ARATEA.

Didascalice est qua comprehenditur philosophia Empedoclis et Lucreti, item astrologia, ut Phaenomena Aratu et Ciceronis, et Georgica Vergilii et his similia. Diomedes p. 483, 1 sqq. ed. Keil.

1. A Iove Musarum primordia, sicut in Aratio carmine orsi sumus. Cicero de legg. II, 7. Arati Phaenom. v. 1.

2. Cicero in Arato 'stinguens' participio usus est, quod a verbo 'stinguo' nascitur:

quem neque tempestas perimet neque longa vetustas
interimet stinguens praeclara insignia caeli.

Priscianus X, 2, 11. Hos versus alii ad exordium, alii ad finem Phaenomenorum referunt.

3. atque hoc loco me intuens 'utar' inquit (Q. Lucilius Balbus) 'carminibus Arateis, quae a te admodum adulescentulo conversa ita me delectant, quia Latina sunt, ut multa ex iis memoria teneam. ergo, ut oculis adsidue videmus, sine ulla mutatione aut varietate

cetera labuntur -- diesque feruntur.

Cicero de deor. nat. II, 104. Arati Phaenom. v. 19. 20.

4. extremusque adeo -- dicitur esse polus.

Cicero de deor. nat. II, 105. Arati Phaenom. v. 24. 25.

5. cuius quidem clarissimas stellas totis noctibus cernimus,

quas nostri septem soliti vocitare Triones.

Cicero de deor. nat. II, 105. Arati Phaenom. v. 28.

6. hunc circum Arctoe duae feruntur, numquam occidentes:

ex his altera -- dicitur esse Helice.

Cicero de deor. nat. II, 105. Arati Phaenom. v. 37. 38.

7. paribusque stellis similiter distinctis eundem caeli verticem lustrat parva Cynosura.

hac fidunt duce -- convertitur orbe.

Cicero de deor. nat. II, 106. Arati Phaenom. v. 40—44.

8. a. et quo sit earum stellarum admirabilior aspectus,

has inter -- sinus e corpore flexos.

Cicero de deor. nat. II, 106. Arati Phaenom. v. 46—48.

b. quaedam etiam syncopam passa sunt, ut 'supra' pro 'supera' et 'infra' pro 'infera' et 'extra' pro 'extera'. nam antiqui trisyllaba ea proferebant, ut Cicero in Arato:

torvus Draco serpit subter superaque retorquens
sese.

Priscianus XIV, 2, 11. 6, 52. Arati Phaenom. v. 47 sq.

9. eius cum totius sit praeclara species, in primis aspicienda est figura capitis atque ardor oculorum:

huic non una -- maioris figere dicas.

Cicero de deor. nat. II, 107. Arati Phaenom. v. 56—61.

10. et reliquum quidem corpus Draconis totis noctibus cernimus:

hoc caput hic -- admiscentur in unam.

Cicero de deor. nat. II, 108. Arati Phaenom. v. 63. 64.

11. id autem caput

attingens defessa velut maerentis imago
vertitur.

Cicero de deor. nat. II, 108. Arati Phaenom. v. 65 sq.

12. quam quidem (imaginem) Graeci

Engonasin vocitant, genibus quia nixa feratur.

Cicero de deor. nat. II, 108. Arati Phaenom. v. 68.

13. hic illa eximio posita est fulgore Corona.

Cicero de deor. nat. II, 108. Arati Phaenom. v. 73.

14. atque haec quidem a tergo, propter caput autem Anguitenens:

quem claro perhibent Ophiuchum nomine Graii.

Cicero de deor. nat. II, 108 sq. Arati Phaenom. v. 77.

15. Cicero in Arato:

huic supera duplices -- talique nitore.

Priscianus XIV, 6, 52. Arati Phaenom. v. 80. 81.

16. a. hic pressu duplici -- pectusque Nepai.

Cicero de deor. nat. II, 109. Arati Phaenom. v. 86—90.

b. Cicero in Arato:

atque oculos urget pedibus pectusque nepai,

pro 'nepae', id est scorpii. Priscianus VII, 2, 3. Arati Phaenom. v. 90.

17. Septentriones autem sequitur

Arctophylax -- prae se quatit Arctum.

Cicero de deor. nat. II, 109. Arati Phaenom. v. 96. 97.

18. dein quae sequuntur; huic enim Booti

subter praecordia fixa videtur
stella micans radiis, Arcturus nomine claro.

Cicero de deor. nat. II, 110. Arati Phaenom. v. 98. 99.

19. Cicero in Arato:

sub pedibus profert finita Booti

pro 'Bootis'. Priscianus VI, 11, 63. Arati Phaenom. v. 100.

20. a. cui subiecta fertur

spicum inlustre tenens splendenti corpore Virgo.

Cicero de deor. nat. II, 110. Arati Phaenom. v. 101.

b. dicimus et 'hic specus' et 'hoc spicum'. Cicero in Arato:

spicum illustre ferens insigni corpore virgo.

Servius ad Virg. Georg. I, 111.

21. malebant tenui contenti vivere cultu,

ut Cicero in suo (Arateo carmine) narrat. Lactantius Instit. div. V, 5, 5. Arati Phaenom. v. 116.

22. ferrea tum vero -- domitumque iuvencum.

Cicero de deor. nat. II, 159. Arati Phaenom. v. 134—136.

23. et Iovis in regno caelique in parte resedit.

Lactantius Instit. div. V, 5, 9. Arati Phaenom. v. 138.

24. Cicero in Arato 'hoc genus' pro 'genu' protulit:

tertia sub cauda ad genus ipsum lumina pandit.

Priscianus VI, 4, 19. cf. Servius ad Virg. Aen. III, 22. Arati Phaenom. v. 149.

25. atque ita demetata signa sunt, ut in tantis discriptionibus divina sollertia adpareat:

et natos Geminos -- e corpore flammam.

Cicero de deor. nat. II, 110. Arati Phaenom. v. 151—153.

26. hoc motu radiantis etesiae in vada ponti.

Cicero in Oratore §. 152. Arati Phaenom. v. 157.

27. et 'aplustra' et 'aplustria' antiqui protulisse inveniuntur. Cicero in Arato:

navibus absumptis fluitantia quaerere aplustra.

Priscianus VII, 15, 74. Cf. Arati Phaenom. v. 159 sq.

28. Auriga

sub laeva Geminorum -- umerum clara obtinet.

Cicero de deor. nat. II, 110. Arati Phaenom. v. 165—167.

29. tum quae sequuntur:

verum haec est magno -- mortalibus ignem.

Cicero de deor. nat. II, 110. Arati Phaenom. v. 170. 171.

30. cuius sub pedibus

corniger est valido conixus corpore Taurus.

Cicero de deor. nat. II, 110. Arati Phaenom. v. 173.

31. eius caput stellis conspersum est frequentibus:

has Graeci stellas Hyadas vocitare suërunt.

Cicero de deor. nat. II, 111. Arati Phaenom. v. 178.

32. Tullius in Arato:

iam Tauri laevum cornu dexterque simul pes.

[Probus] de ultimis syllabis p. 223, 29. ed. Keil. Arati Phaenom. v. 179.

33. minorem autem Septentrionem Cepheus passis palmis a tergo subsequitur:

namque ipse ad tergum Cynosurae vertitur Arcti.

Cicero de deor. nat. II, 111. Arati Phaenom. v. 186.

34. hunc antecedit

obscura specie stellarum Cassiepia.

Cicero de deor. nat. II, 111. Arati Phaenom. v. 193.

35. hanc autem inlustri -- maesta parentis.

Cicero de deor. nat. II, 111. Arati Phaenom. v. 201. 202.

36. huic Equus ille -- cupiens conectere nodum.

Cicero de deor. nat. II, 111. Arati Phaenom. v. 209—212.

37. exin contortis Aries cum cornibus haeret.

Cicero de deor. nat. II, 111. Arati Phaenom. v. 230.

38. quem propter

Pisces, quorum alter paulum praelabitur ante
et magis horriferis aquilonis tangitur auris.

Cicero de deor. nat. II, 111. Arati Phaenom. v. 246. 247.

39. defectiva in modis sunt haec: quaeso, quaesumus, quod primam personam habet in singulari et plurali indicativi modi dumtaxat, licet quaesere lectum sit apud Sallustium et Tullium. Phocas p. 349 sq. ed. Lindem. Arati Phaenom. v. 252.

40. ad pedes Andromedae Perseus describitur,

quem summa a regione aquilonis flamina pulsant.

Cicero de deor. nat. II, 112. Arati Phaenom. v. 256.

41. a. Cicero in Arato:

at propter laevum -- cum luce videbis.

Priscianus VI, 4, 19. Arati Phaenom. v. 261. 262.

b. Tullius in Arato:

hac propter laevum genu omnis parte locatus.

[Probus] de ultimis syllabis p. 223, 31. ed. Keil. Arati Phaenom. v. 261.

c. cuius propter laevum genu

Vergilias tenui cum luce videbis.

Cicero de deor. nat. II, 112. Arati Phaenom. v. 262.

42. inde Fides leviter posita et convexa videtur.

Cicero de deor. nat. II, 112. Arati Phaenom. v. 276.

43. Cicero in Arato:

haec genus ad laevum -- caput Alitis haesit.

Priscianus VI, 4, 19. Arati Phaenom. v. 279. 280.

44. inde est Ales avis lato sub tegmine caeli.

Cicero de deor. nat. II, 112. Arati Phaenom. v. 281.

45. Cicero in Arato:

serius haec obitus terrai visit Equi vis.

Priscianus VII, 2, 3. Arati Phaenom. v. 291.

46. a. capiti autem Equi proxima est Aquarii dextra totusque deinceps Aquarius.

tum gelidum -- contorquet tempore currum.

Cicero de deor. nat. II, 112. Arati Phaenom. v. 292—295.

b. Cicero in Arato:

corpore semifero magno Capricornus in orbe.

Priscianus VI, 4, 20. Arati Phaenom. v. 293.

47. hinc autem aspicitur,

ut sese ostendens emergit Scorpios alte
posteriore trahens plexum vi corporis arcum.

Cicero de deor. nat. II, 113. Arati Phaenom. v. 317. 318.

48. quem propter nitens pinnis convolvitur Ales.

Cicero de deor. nat. II, 113. Arati Phaenom. v. 326.

49. at propter se Aquila ardenti cum corpore portat.

Cicero de deor. nat. II, 113. Arati Phaenom. v. 328.

50. Cicero in Arato:

tum magni curvus -- lustratus nitore.

Priscianus VI, 4, 20. 5, 26. Arati Phaenom. v. 332. 333.

51. deinde Delphinus;

exinde Orion obliquo corpore nitens.

Cicero de deor. nat. II, 113. Arati Phaenom. v. 343.

52. quem subsequens

fervidus ille Canis stellarum luce refulget.

Cicero de deor. nat. II, 114. Arati Phaenom. v. 349.

53. post Lepus subsequitur,

curriculum numquam -- prolabitur Argo.

Cicero de deor. nat. II, 114. Arati Phaenom. v. 369. 370.

54. hanc Aries tegit -- tangentem corpore ripas.

Cicero de deor. nat. II, 114. Arati Phaenom. v. 387. 388.

55. quem longe serpentem et manantem aspicies

proceraque vincla videbis,
quae retinent Piscis caudarum a parte locata.

Cicero de deor. nat. II, 114. Arati Phaenom. v. 394. 395.

56. inde Nepae cernes -- permulcet spiritus austri.

Cicero de deor. nat. II, 114. Arati Phaenom. v. 427. 428.

57. propterque Centaurus

cedit Equi partis -- qua vasta tenetur.

Cicero de deor. nat. II, 114. Arati Phaenom. v. 454. 455.

58. tendit et inlustrem -- e partibus erigit Hydra.

Cicero de deor. nat. II, 114. Arati Phaenom. 457. 458.

59. cuius longe corpus est fusum,

in medioque sinu fulgens Cratera relucet.
extremam nitens plumato corpore Corvus
rostro tundit, et hic Geminis est ille sub ipsis
Ante canem, *Προκύων* Graio qui nomine fertur.

Cicero de deor. nat. II, 114. Arati Phaenom. v. 463—466.

60. Prognostica mea cum oratiunculis propediem exspecta. Cicero ad Att. II, 1, 11. (mense Iunio a. u. 694.)

61. extinguo extinxi, cuius simplex 'stinguo' in raro est usu. Cicero tamen passivum eius verbi in Prognosticis protulit:

ut cum luna -- caeca caligine tecti.

Priscianus X, 2, 11. Arati Prognost. v. 132. 133.

62. coniunctiones sibi praepositae inveniuntur, tam eiusdem potestatis cum sint, quam alterius, ut Cicero in Prognosticis:

ast autem tenui quae candet lumine Phatne.

Priscianus XVI, 2, 16. XVIII, 21, 172. Arati Prognost. v. 160.

63. mirari licet quae sint animadversa a medicis herbarum genera, quae radicum ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos, ad volnera, quorum vim atque naturam ratio numquam explicavit, utilitate et ars est et inventor probatus. age ea, quamquam ex alio genere sunt, tamen divinationi sunt similiora, videamus:

atque etiam ventos -- scopulorum saepe repulsus.

atque his rerum praesensionibus Prognostica tua referta sunt. Cicero de divinat. I, 13. Arati Prognost. v. 177—182. atqui ne illa quidem divinantis esse dicebas, ventos aut imbris inpendentis quibusdam praesentire signis — in quo nostra quaedam Aratea memoriter a te pronuntiata sunt —, etsi haec ipsa fortuita sunt, plerumque enim, non semper eveniunt. Cicero de divinat. II, 14. et eo quidem loco et Prognostica nostra pronuntiabas et genera herbarum, scammoniam aristolochiamque radicem, quarum causam ignorares, vim et effectum videres. Cicero de divinat. II, 47.

64. illa vero cur eveniant quis probabiliter dixerit?

cana fulix itidem -- e gutture cantus.

Cicero de divinat. I, 14. Arati Prognost. v. 183—185.

65. videmus haec signa numquam fere mentientia, nec tamen cur ita fiat videmus.

vos quoque signa -- fontis et stagna cietis.

Cicero de divinat. I, 15. Arati Prognost. v. 216—218. equidem etiam pluvias metuo, si Prognostica nostra vera sunt; ranae enim ῥητορεύουσιν. Cicero ad Att. XV, 16. b.

66. saepe etiam pertriste -- fluctum cervice recepit.

Cicero de divinat. I, 14. Arati Prognost. v. 219—224.

67. mollipedesque boves -- ex aëre sucum.

Cicero de divinat. I, 15. Arati Prognost. v. 225. 226.

68. iam vero semper -- tempora monstrat arandi.

Cicero de divinat. I, 15. Arati Prognost. v. 322—324.

69. Cicero in Prognosticis:

caprigeni pecoris custos de gurgite vasto.

Priscianus VI, 1, 3. (Patricius hoc fragmentum refert ad Arati Prognost. v. 370: χαίρει δέ που αἰπόλος ἀνὴρ αὐταῖς ὀρνίθεσσιν, ἐπὴν κατὰ μέτρον ἴωσιν.)

ARATI PHAENOMENA A CICERONE IN LATINUM CONVERSA CUM GROTII SUPPLEMENTIS.

(Litteris obliquis expressimus Grotii supplementa. Conferenda autem est Ciceronis editio Orelliana altera vol. IV. p. 1017 sqq.)

A Iove Musarum primordia: *semper in ore*
plurimus ille hominum est, qui compita numine magno
conciliumque virum complet pelagusque profundum
et pelagi portus. fruimur Iove et utimur omnes;
nos genus illius; nobis ille omine laeto
dextera praesignat populumque laboribus urget,

consulat ut vitae: quando sit terra ligoni
aptior aut bubus monet et quo tempore par sit
aut serere aut saeptas lymphis adspergere plantas.
ipse etiam in magno defixit sidera mundo
ordine quaeque suo atque in totum providus annum
astra dedit, quae nos moneant, qua quaelibet hora
apta geri, certa nascantur ut omnia lege.
idem ergo primus placatur et ultimus idem.
magne pater, magnum mortalibus incrementum,
progenies prior, et dulces ante omnia Musae,
cuncti una salvete mihi et, dum sidera canto,
si ius fasque sinunt, longum deducite carmen.
Cetera labuntur celeri caelestia motu,
cum caeloque simul noctesque diesque feruntur;
axis at immotus numquam vestigia mutat,
sed tenet aequali libratas pondere terras;
quem circum magno se volvit turbine caelum.
extremusque adeo duplici de cardine vertex
dicitur esse polus, *quorum hic non cernitur, ille*
ad Boream, Oceani supera confinia tendit:
quem cingunt Ursae celebres cognomine Plaustri,
quas nostri septem soliti vocitare Triones.
alterius caput alterius flammantia terga
adspicit inque vicem pronas rapit orbis in ipsos
conversas humeros. Creta, si credere fas est,
ad caeli nitidos axes venere relicta:
Iuppiter hoc voluit, quem sub bene olentibus herbis
ludentem Dicti grato posuere sub antro
Idaeum ad montem totumque aluere per annum,
Saturnum fallunt dum Dictaei Corybantes.
ex his altera apud Graios Cynosura vocatur,
altera dicitur esse Helice, *quae monstrat Achivis*
in pelago navis quo sit vertenda; sed usque
hac fidunt duce nocturna Phoenices in alto.
sed prior illa magis stellis distincta refulget
et late prima confestim a nocte videtur.
haec vero parva est, sed nautis usus in hac est;
nam cursu interiore brevi convertitur orbe,
signaque Sidoniis monstrat certissima nautis.
Has inter, veluti rapido cum gurgite flumen,
torvu' Draco serpit, subter superaque revolvens
sese conficiensque sinus e corpore flexos,
quos cani tangunt immunes gurgitis Arctoe.
verum haec extremae circumdatur agmine caudae.

qua spirae sinus est, involvitur altera caelo.
nempe Helice extremae circumdatur agmine caudae,
qua spirae sinus est, caput est Cynosuridos Ursae:
quae tamen usque pedes summo illum a vertice tangit.
retrogrado hic iterum cursu convertitur anguis.
huic non una modo caput ornans stella relucet,
verum tempora sunt duplici fulgore notata,
e trucibusque oculis duo fervida lumina flagrant,
atque uno mentum radianti sidere lucet:
obstipum caput at tereti cervice reflexum
obtutum in cauda maioris figere dicas.
opposita extremae capitis sunt dextera caudae.
hoc caput hic paulum sese subito aequore condit,
ortus ubi atque obitus partem admiscentur in unam.
Attingens defessa velut maerentis imago
vertitur; *hanc nemo certo tibi dicere possit,*
aut quisnam, quo sit fessus, labor: attamen illam
Engonasin vocitant, genibus quia nixa feratur.
illa petit binis manibus diversa locorum,
atque humeros supera tensis dispanditur ulnis,
et super ora cavis spirantia naribus ignem
Serpentis dextrae figit vestigia plantae.
Hic illa eximio posita est fulgore Corona:
hanc Ariadnaeum Bacchus testatus amorem
intulit in caelum, qua Nixi terga fatiscunt.
Iuxta humeros Sertum est: propter caput Anguitenentis,
quem claro perhibent Ophiuchum nomine Graii,
est caput illius, summoque ex vertice Nixi
perfacile alterius candentia sidera nosces.
huic supera duplices umeros adfixa videtur
stella, micans tali specie talique nitore,
fulgeat ut, pleno cum lumine Luna refulsit.
non par est geminis manibus vigor, et licet illis
nec nullus splendor nec sit parvissima moles,
attamen est tenuis disperso lumine fulgor.
hic pressu duplici palmarum continet Anguem,
atque eius ipse manet religatus corpore torto:
namque virum medium serpens sub pectora cingit.
ille tamen nitens graviter vestigia ponit
atque oculos urguet pedibus pectusque Nepai.
hic pressus dextra tollit se parte sinistra,
ac serta attingunt summae Minoia malae.
sub spira quaeres immenso corpore Chelas,
quae tamen haud magnum iactant pro mole nitorem.

Ipsam Helicen sequitur, non dispar forma bubulco,
Arctophylax, volgo qui dicitur esse Bootes,
quod quasi temoni adiunctam prae se quatit Arctum.
clarus hic, et subter praecordia fixa videtur
stella micans radiis, Arcturus nomine claro.
Hic se sub pedibus profert finita Booti,
spicum inlustre tenens, splendenti corpore Virgo.
sive illi Astraeus pater est, qui dicitur idem
sideribus stellisque pater, seu quilibet alter,
sit felix: sane haec narratur fabula vulgo.
incoluit caelo terras Astraea relicto,
conventusque hominum non dedignata priorum,
sed nec femineos spernens invisere coetus,
leti expers generi mortali mixta resedit,
nomine Iustitiae gaudens; senibusque coactis
in magnove foro lateve patente platea
civiles populis dictabat sedula leges:
nec mala lis fuerat necdum discordia nota,
nec fera seditio furiarat mobile vulgus,
saeva nec audaces fuerant freta passa carinas,
sed, bubus tracto sulcantes vomere terras,
malebant tenui contenti vivere cultu,
sufficiente dea iustis pleno omnia cornu.
haec manet, in sanctis dum gens manet aurea terris:
at non argenti nimis est laetata metallo,
moribus et versis versa est prior ipsa voluntas,
raraque peiori iunxit sua numina genti:
sola sed ex raucis descendens montibus ibat,
sub noctem, nulli teneris blandita loquelis;
sed simulac magnas hominum migrarat ad urbes,
inproba terrificis sic ulta est crimina verbis:
non ego me dignor posthac monstrare videndam,
degener o primae proles nunc altera prolis,
degeneres iterumque iterumque habitura nepotes:
tunc fera bella hominum generi caedesque nefandae
impendent culpamque comes sua poena sequetur.
sic ait et populos, intenta etiam ora tenentes,
linquit et ad montes silvarumque avia tendit.
haec aetas vitam liquit subolemque reliquit.
ferrea tum vero proles exorta repente est,
ausaque funestum primast fabricarier ensem
et gustare manu vinctum domitumque iuvencum.
tunc, mortale exosa genus, dea in alta volavit
et Iovis in regno caelique in parte resedit,

illustrem sortita locum, qua nocte serena
virgo conspicuo fulget vicina Bootae.
  Huic, humeros supera duplices, convertitur alam
ad dextram Graio Protrygeter nomine dicta,
stella micans tali specie talique nitore,
qualis et immensae sub cauda volvitur Arcti.
illa quidem flagrans: sed et huic flagrantia plura
sidera, quae parvo poteris reperire labore.
quin etiam ante pedes magno fulgore notata
stella nitet: dehinc prima humeros subit, altera lumbos,
tertia sub cauda ad genus ipsum lumina pandit.
cetera sed certo passim sine nomine fulgent.
  Et natos Geminos invises sub caput Arcti:
subiectus mediae est Cancer, pedibusque tenetur
magnu' Leo tremulam quatiens e corpore flammam.
explicat hic summos ardores semita Phoebi.
tunc nullae apparent per culta novalia spicae,
principioque adeo Solis per caerula caeli
hoc motu radiantis etesiae in vada ponti
procumbunt glomerati et spirant flamine longo.
tunc mihi non remis placeat ratis indiga, verum
larga satis rectoque ad venti commoda clavo.
  Si cupis Aurigam atque Aurigae noscere stellas,
ullaque fama tuas Caprae pervenit ad aures,
Haedorumque simul, quorum duo lumina cernunt
saepe per iratum iactata cadavera pontum:
sub laeva Geminorum obductus parte feretur.
adversum caput huic Helicae truculenta tuetur.
at Capra laevum umerum clara obtinet: *illa putatur*
ubera adhuc parvo lactenda dedisse Tonanti,
hanc Iovis Oleniam capram dixere ministri.
verum haec est magno atque inlustri praedita signo.
  Contra Haedi exiguum iaciunt mortalibus ignem
Aurigae in manibus; cuius vestigia servans
corniger est valido conixus corpore Taurus,
quem non difficili ratione agnoscere possis,
namque illum exornant externi haud indiga signi
sidera, quae vivum caput olli utrimque figurant,
incluta per totam spargentia lumina frontem:
has Graeci stellas Hyadas vocitare suërunt.
iam Tauri laevum cornu dexterque simul pes
Aurigae igne micant uno pariterque feruntur:
at prior Auriga latum petit oceanum Bos,
cum tamen e placidis surgant simul aequoris undis.

Quin etiam Iasidae domus antiquissima Cephei
aerumnis est nota suis, quam Iuppiter auctor
progenii subito praeclaris intulit astris:
namque ipse ad tergum Cynosurae vertitur Arcti
Iasides, passis distendens brachia palmis;
tantaque ab extrema cauda disterminat Arcti
regula utrumque pedem, quanta pes a pede distat.
quod si a Cepheo paulum tua lumina balteo
dimoveas, versus saevi agmina prima Draconis:
Hic erit, haud plena poteris quam cernere luna,
obscura specie stellarum Cassiepia:
nam non crebrae illi stellae neque sidera iuncta
egregium ex variis componunt ignibus ignem:
sed quali portas firmatas obiice clavi
occludit vectis bifori vis obdita valvae,
talia et hanc etiam prive disposta figurant
sidera; et ipsa adeo passis distenditur ulnis,
non secus ac sortem natae miseretur iniquam.
Hanc autem inlustri versatur corpore propter
Andromeda aufugiens aspectum maesta parentis:
quam non sollicitus noctu labor inquirundi;
tam clarum caput est, tam magno sidere flagrant
ambo humeri summique pedes vestesque fluentes.
haec etiam in varias distendit brachia partes,
utque prius, sic nunc in magno vincula mundo
non relevant duro defessas pondere palmas.
Huic Equus ille, iubam quatiens fulgore micanti,
summum contingit caput alvo, stellaque iungens
una tenet duplicis cummuni lumine formas,
aeternum ex astris cupiens conectere nodum.
sed latus atque armos depingunt terna caballi,
aequali a sese spatio quae sidera distant,
eximio fulgore, quibus par nec caput altum
nec longa est cervix: flagrantis at ultima malae
quattuor his aliis non cedat stella nitore,
fulgentes inter stellas media ipsa refulgens.
non equidem hic quadrupes, verum media tenus alvo
conspicuus profert sonipes venerabilis ora.
hunc fama est olim propter iuga summa Heliconis
Hippocrenaeum nobis donasse liquorem:
tunc nondum Aonii maduere virentia montis
fecundo latice: ut generosi prima caballi
ungula humum tetigit, simul ingens prosiluit fons,
unde Caballinum primi vocitare bubulci:

ille quidem stillans e saxis irrigat agros,
Thespia terra, tuos: sed Equus pro munere tanto
exornat magni penetralia lucida caeli.
Exin contortis Aries cum cornibus haeret.
ille quidem, aeternum longos agitatus in orbes,
segnior haud currit signo Cynosuridos Arcti;
languidus obscurusque tamen, ceu luna retundat
flammae aciem, Andromedae se propter cingula volvit,
e quibus hunc subter possis cognoscere fultum.
nam caeli mediam partem terit, ut prius illae
Chelae; tum pectus quoque cernitur Orionis.
Et prope conspicies parvum sub pectore claro
Andromedae signum, Deltoton dicere Graii
quod soliti, simili quia forma littera claret:
huic spatio ductum simili latus exstat utrumque.
at non tertia pars lateris — namque est minor illis —,
sed stellis longe densis praeclara relucet.
Inferior paulo est Aries et flamen ad Austri
inclinatior atque etiam vehementius illi
Pisces, quorum alter paulo prolabitur ante
et magis horrisonis Aquilonis tangitur alis.
atque horum e caudis duplices velut aere catenae
discessuque diu versae per lumina serpunt,
atque una tandem in stella communiter haerent,
quem veteres soliti caelestem dicere Nodum.
Andromedae laevo ex umero, si quaesere perges,
adpositum poteris supera cognoscere Piscem.
E pedibus natum summo Iove Persea vises,
quos umeris retinet defixo corpore Perseus,
quem summa ab regione Aquilonis flamina pulsant.
hic dextram ad sedes intendit Cassiepiae
diversosque pedes vinctos talaribus aptis
pulverulentus uti de terra elapsu' repente
in caelum victor magno sub culmine portat.
At propter laevum genus omni ex parte locatas
parvas Vergilias tenui cum luce videbis.
haec septem volgo perhibentur more vetusto
stellae, cernuntur vero sex undique parvae.
at non interiisse putari convenit unam,
sed frustra temere a volgo ratione sine ulla
septem dicier, ut veteres statuere poëtae,
aeterno cunctas sane qui nomine signant,
Alcyone Meropeque, Celaeno Taygeteque,
Electra Steropeque, simul sanctissima Maia.

hae tenues parvo labentes lumine lucent:
at magnum nomen signi clarumque vocatur
propterea, quod et aestatis primordia clarat
et post hiberni praepandens temporis ortus
admonet, ut mandent mortales semina terris.
Inde Fides posita et leviter convexa videtur,
Mercurius parvus manibus quam dicitur olim
infirmis fabricatus in alto sede locasse.
haec genus ad laevum Nixi delapsa resedit
atque inter flexum genus et caput Alitis haesit.
Namque est Ales avis, lato sub tegmine caeli
quae volat et serpens geminis secat aëra pinnis.
altera pars huic obscura est et luminis expers:
altera nec parvis nec claris lucibus ardet,
sed mediocre iacit quatiens e corpore lumen.
haec dextram Cephei dextro pede pellere palmam
gestit: iam vero clinata est ungula vemens
fortis Equi propter pinnati corporis alam.
Ipse autem labens mutis Equus ille tenetur
Piscibus: huic cervix dextra mulcetur Aquari.
serius haec obitus terrai visit Equi vis,
quam gelidum valido de pectore frigus anhelans
corpore semifero magno Capricornus in orbe:
quem cum perpetuo vestivit lumine Titan,
brumali flectens contorquet tempore currum.
hoc cave te in pontum studeas committere mense;
nam non longinquum spatium labere diurnum,
non hiberna cito volvetur curriculo nox.
umida non sese vestris Aurora querellis
ocius ostendet, clari praenuntia Solis;
at validis aequor pulsabit viribus Auster:
tum fixum tremulo quatietur frigore corpus.
sed tamen anni iam labuntur tempore toto,
nec cui signorum cedunt neque flamina vitant
nec metuunt canos minitanti murmure fluctus.
At nautae, fulicae similes mergoque natanti,
anxia per totum iactantes lumina pontum,
nequiquam nusquam parentia litora quaerunt,
dum tenuis nigro tabula hos distinguit ab Orco.
atque etiam supero navi pelagoque vacato
mense, Sagittipotens Solis cum sustinet orbem,
non multo leviora putes instare pericla,
ante nigras cautus tenebras subducere puppim;
nam iam tum nimis exiguo lux tempore praesto est.

hoc signum veniens poterunt praenoscere nautae:
iam prope praecipitante licebit visere nocte,
ut sese emergens ostendat Scorpios alto,
posteriore trahens flexum vi corporis arcum;
sed Nepa non multum prior, at prior exit ab undis.
iam supera cernes Arcti caput esse minoris
et magis erectum ad summum versarier orbem.
tum sese Orion toto iam corpore condit
extrema prope nocte, et Cepheus conditur alte,
lumborum tenus a palma depulsus ad umbras.
Hic missore vacans fulgens iacet una Sagitta,
quam propter nitens pinna convolvitur Ales:
haec clinata magis paulo est Aquilonis ad auras.
at propter se Aquila ardenti cum corpore portat,
igniferum mulcens tremebundis aethera pinnis,
non nimis ingenti cum corpore, sed grave maestis
ostendit nautis perturbans aequora signum.
Tum magni curvus Capricorni corpora propter
Delphinus iacet, haud nimio lustratu' nitore,
praeter quadruplicis stellas in fronte locatas,
quas intervallum binas disterminat unum.
cetera pars late tenui cum lumine serpit.
illae, quae fulgent luces ex ore corusco,
sunt inter partis gelidas Aquiloni' locatae
atque inter spatium et laeti vestigia Solis.
at pars inferior Delphini fusa videtur
inter Solis iter, simul inter flamina venti,
viribus erumpit qua summi spiritus Austri.
Exinde Orion obliquo corpore nitens
inferiora tenet truculenti corpora Tauri:
quem qui suspiciens in caelum nocte serena
late dispersum non viderit, haud ita vero
cetera se speret cognoscere signa potesse.
Namque pedes subter rutilo cum lumine claret
fervidus ille Canis stellarum luce refulgens.
huic tegit obscurus subter praecordia venter:
nec vero toto spirans de corpore flammam
aestiferos validis erumpit flatibus ignis:
totus ab ore micans iacitur mortalibus ardor.
Sirion hunc Graeci praeclaro nomine dicunt.
hic ubi se pariter cum Sole in lumina caeli
extulit, haud patitur foliorum tegmine frustra
suspensos animos arbusta ornata tenere.
nam quorum stirpis tellus amplexa prehendit,

haec augens anima vitali flamine mulcet:
at quorum nequeunt radices findere terras,
denudat foliis ramos et cortice truncos.
tendentem occiduas etiam hunc sentimus ad oras:
cetera signandis sunt languida sidera membris.
Hunc propter subterque pedes, quos diximus ante,
Orioni' iacet levipes Lepus. hic fugit, ictus
horrificos metuens rostri tremebundus acuti.
nam Canis infesto sequitur vestigia cursu,
praecipitantem agitans, oriens iam denique paulo
curriculum numquam defesso corpore sedans.
At Canis ad caudam serpens prolabitur Argo
conversam prae se portans cum lumine puppim:
non aliae naves ut in alto ponere proras
ante solent rostro Neptunia prata secantes,
sed conversa retro caeli se per loca portat:
sicuti, cum coeptant tutos contingere portus,
obvertunt navem magno cum pondere nautae,
adversamque trahunt optata ad litora puppim.
sic conversa vetus super aethera vertitur Argo,
atque usque a prora ad celsum sine lumine malum,
a malo ad puppim clara cum luce videtur;
inde gubernaclum, disperso lumine fulgens,
clari posteriora Canis vestigia condit.
Exin semotam procul in tutoque locatam
Andromedam tamen explorans fera quaerere Pistrix
pergit et usque sitam validas Aquilonis ad auras
caerula vestigat finita in partibus Austri.
hanc Aries tegit et squamoso corpore Pisces,
fluminis inlustris tangentem pectore ripas.
namque etiam Eridanum cernes in parte locatum
caeli, funestum magnis cum viribus amnem,
quem lacrimis maestae Phaëthontis saepe sorores
sparserunt, letum maerenti voce canentes.
hunc Orionis sub laeva cernere planta
serpentem poteris proceraque Vincla videbis,
quae retinent Piscis, caudarum a parte locata
flumine mixta retro ad Pistricis terga reverti.
haec una stella nectuntur, quam iacit ex se
Pistricis spina evalida cum luce refulgens.
Exinde exiguae tenui cum lumine multae
inter Pistricem fusae sparsaeque videntur
atque Gubernaclum stellae, quas contegit omnis
formidans acrem morsum Lepus: his neque nomen

nec formam veteres certam statuisse videntur.
nam quas sideribus claris natura polivit
et vario pinxit distinguens lumine formas,
has ille astrorum custos ratione notavit
signaque signavit caelestia nomine vero:
has autem, quae sunt parvo cum lumine fusae,
consimili specie stellas parilique nitore,
non potuit nobis nota clarare figura.
  Exinde australem soliti quem dicere Piscem
volvitur inferior Capricorno versus ad Austrum,
Pistricem observans, procul illis Piscibus haerens.
at prope conspicies, expertis nominis omnis,
inter Pistricem et Piscem quem diximus Austri
stellas, sub pedibus stratas radiantis Aquari.
  Propter Aquarius obscurum dextra rigat amnem,
exiguo qui stellarum candore nitescit.
e multis tamen his duo late lumina fulgent:
unum sub magnis pedibus cernetur Aquari;
quod superest, gelido delapsum flumine fontis,
spinigeram subter caudam Pistricis adhaesit.
hae tenues stellae perhibentur nomine Aquai.
hic aliae volitant parvo cum lumine clarae
atque priora pedum subeunt vestigia magni
Arcitenentis et obscurae sine nomine cedunt.
  Inde Nepae cernes propter fulgentis acumen
Aram, quam flatu permulcet spiritus Austri,
exiguo superum quae lumina tempore tranat:
nam procul Arcturo est adversa parte locata.
Arcturo magnum spatio supera dedit orbem
Iuppiter; huic parvum inferiore in parte locavit.
haec tamen aeterno invisens loca curriculo nox
signa dedit nautis, cuncti quae noscere possent,
conmiserans hominum metuendos undique casus.
nam cum fulgentem cernes sine nubibus atris
Aram sub media caeli regione locatam,
a summa parte obscura caligine tectam,
tum validis fugito devitans viribus Austrum,
quem si prospiciens vitaveris, omnia caute
armamenta locans tuto labere per undas.
sin gravis inciderit vehementi flamine ventus,
perfringet celsos defixo robore malos,
ut res nulla feras possit mulcere procellas,
ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem
coeperit et subitis auris diduxerit Ara.

sin umeros medio in caelo Centaurus habebit,
ipseque caerulea contectus nube feretur,
atque Aram tenui caligans vestiet umbra,
ad signorum obitum vis est metuenda Favoni.
Ille autem Centaurus in alta sede locatus
qua sese clare conlucens Scorpios infert,
hunc subter, partem praeportans ipse virilem,
cedit, equi partis properans subiungere Chelis.
hic dextram porgens, quadripes qua vasta tenetur,
quam nemo certo donavit nomine Graium,
tendit et inlustrem truculentus caedit ad Aram.
Hic sese infernis e partibus erigit Hydra,
praecipiti lapsu flexo cum corpore serpens.
haec, caput atque oculos torquens ad terga Nepai,
convexoque sinu subiens inferna Leonis,
Centaurum levi contingit lubrica cauda,
in medioque sinu fulgens Cratera relucet.
extremam nitens plumato corpore Corvus
rostro tundit, et hic Geminis est ille sub ipsis
Antecanem, Graio Procyon qui nomine fertur.
Haec sunt, quae visens nocturno tempore signa
aeternumque volens mundi pernoscere motum
legitimo cernes caelum lustrantia cursu.
nam, quae per bis sex signorum labier orbem
quinque solent stellae, simili ratione notari
non possunt, quia quae faciunt vestigia cursu
non eodem semper spatio protrita teruntur.
sic malunt errare vagae per nubila caeli
atque suos vario motu metirier orbis.
hae faciunt magnos longinqui temporis annos,
cum redeunt ad idem caeli sub tegmine signum;
quarum ego nunc nequeo tortos evolvere cursus:
verum haec, quae semper certo volvuntur in orbe
fixa, simul magnos edemus gentibus orbis.
Quattuor, aeterno lustrantes lumine mundum,
orbes stelligeri portantes signa feruntur,
amplexi terras caeli sub tegmine fulti.
e quibus annorum volitantia lumina nosces,
quae densis distincta licebit cernere signis.
tam magnos orbis magno cum lumine latos,
vinctos inter se et nodis caelestibus aptos,
atque pari spatio duo cernes esse duobus.
at si nocturno convisens tempore caelum,
cum neque caligans detersit sidera nubes,

nec pleno stellas superavit lumine Luna,
vidisti magnum candentem serpere circum,
Lacteus hic nimio fulgens candore notatur.
is non perpetuum detexens conficit orbem:
quattuor huic simili nitentes mole feruntur:
sed spatio multum superis praestare duobus
dicitur et late caeli lustrare cavernas.
Quorum alter tangens Aquilonis vertitur auras,
ora petens Geminorum inlustria: tum genus ardens
in sese retinens Aurigae portat utrumque.
hunc sura laeva Perseus umeroque sinistro
tangit: at Andromeda hic dextra de parte tenetur,
cui manus ad Boream, cubitus cui spectat ad Austrum,
inponitque pedes duplices Equus: et simul Ales
ponit avis caput et clinato corpore tergum
Anguitenens umeris conititur; illa recedens
Austrum consequitur devitans corpore Virgo.
at vero totum spatium convestiet orbis
magnu' Leo et claro conlucens lumine Cancer,
in quo consistens convertit curriculum Sol
aestivus, medio distinguens corpore cursus.
hic totus medius circo disiungitur; iste
pectoribus validis atque alvo possidet orbem.
hunc octo in partis divisum noscere circum
si potes, invenies supero convertier orbe
quinque pari spatio, partis tris esse relictas,
tempore nocturno quas vis inferna frequentat.
\- - - - - -
alter ab infernis Austri convertitur auris.
Distribuens medium subter secat his Capricornum,
atque pedes gelidum rivum fundentis Aquari,
caeruleamque ferae caudam Pistricis et illum
fulgentem Leporem, inde pedes Canis, et simul amplam
Argolicam retinet claro cum lumine Navem:
tergaque Centauri atque Nepai portat acumen:
inde Sagittari deflexum possidet arcum.
hunc, a clarisonis auris Aquilonis ad Austrum
cedens, postremum tangit rota fervida Solis:
exinde in superas brumali tempore flexus
se recipit sedes: huic orbi quinque tributae
nocturnae partes, supera tres luce dicantur.
Hosce inter mediam partem retinere videtur
tantus, quantus erit, conlucens Lacteus orbis,
in quo autumnali atque iterum sol lumine verno

exaequat spatium lucis cum tempore noctis.
hunc retinens Aries sublucet corpore totus,
atque genu flexo Taurus conititur ingens:
Orion claro contingens pectore fertur:
Hydra tenet flexu; Cratera et Corvus adhaeret:
et paucae e Chelis stellae; simul Anguitenentis
sunt genua et summi Iovis Ales nuntius instat:
propter Equus capite et cervicum lumine tangit.
Hosce aequo spatio devinctos sustinet axis,
per medios summo caeli de vertice tranans.
ille autem claro quartus cum lumine circus
partibus extremis extremos continet orbis,
et simul a medio media de parte secatur,
atque obliquus in his nitens cum lumine fertur:
ut nemo, cui sancta manu doctissima Pallas
sollertem ipsa dedit fabricae rationibus artem,
tam tornare cate contortos possiet orbis,
quam sunt in caelo divino numine flexi,
terram cingentes, ornantes lumine mundum,
culmine transverso retinentes sidera fulta.
quattuor hi motu cuncti volvuntur eodem.
sed tantum supera terras semper tenet ille
curriculum, oblique inplexus tribus orbibus unus,
quanto est divisus Cancer spatio a Capricorno;
at subter terras spatium par esse necesse est:
et quantos radios iacimus de lumine nostro,
quis hunc convexum caeli contingimus orbem,
sex tantae poterunt sub eum succedere partes,
bina pari spatio caelestia signa tenentes.
Zodiacum hunc Graeci vocitant, nostrique Latini
orbem signiferum perhibebunt nomine vero;
nam gerit hic volvens bis sex ardentia signa.
aestifer est, pandens ferventia sidera, Cancer.
hunc subter fulgens cedit vis torva Leonis,
quem rutilo sequitur conlucens corpore Virgo.
exin prosectae claro cum lumine Chelae;
ipsaque consequitur lucens vis magna Nepai.
inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum:
post hunc ore fero Capricornus vadere pergit:
umidus inde loci conlucet Aquarius orbe.
exin squamigeri serpentes ludere Pisces:
quis comes est Aries, obscuro lumine labens,
inflexoque genu prosecto corpore Taurus,
et Gemini clarum iactantes lucibus ignem.

haec Sol aeterno convestit lumine lustrans,
annua conficiens vertenti tempora cursu.
hic quantum terris convexus pellitur orbis,
tantundem ille patens supera mortalibu' cedit.
sex omni semper cedunt labantia nocte,
tot caelum rursus fugientia signa revisunt.
hoc spatium tranans caecis nox conficit umbris,
quod supera terras prima de nocte relictum
signifero ex orbe est et signorum ordine fultum.
Quod si Solis aves certos cognoscere cursus,
ortus signorum nocturno tempore vises:
nam semper signum exoriens Titan trahit unum.
sin autem officiens signis mons obstruet altus,
aut adiment lucem caeca caligine nubes,
certas ipse notas caeli de tegmine sumens
ortus atque obitus omnis cognoscere possis.
quae simul exsistant, cernes; quae tempore eodem
praecipitent obitum, nocturno tempore nosces.
Iam, simul ac primum supero se lumine Cancer
extulit, extemplo cedit delapsa Corona,
et loca convisit cauda tenus infera Piscis.
dimidiam retinet stellis distincta Corona
partem etiam supera, atque alia de parte revolsa est:
quam tamen insequitur Piscis, nec totus ad umbras
tractus, sed supero contectus corpore cedit.
atque umeros usque a genibus clarumque recondit
Anguitenens validis magnum a cervicibus Anguem.
iam vero Arctophylax non aequa parte secatur;
nam brevior clara caeli de parte videtur,
amplior infernas depulsus possidet umbras.
quattuor hic obiens secum deducere signa
signifero solet ex orbi; tum serius ipse,
cum supera sese satiavit luce, recedit,
post mediam labens claro cum corpore noctem.
haec obscura tenens convestit sidera tellus:
at parte ex alia claris cum lucibus enat
Orion, umeris et lato pectore fulgens,
et dextra retinens non cassum luminis ensem.
Sed cum de terris vis est patefacta Leonis,
omnia, quae Cancer praeclaro detulit ortu,
cedunt obscurata, simul vis magna Aquilai
pellitur ac flexo considens corpore Nixus
iam supero ferme depulsus lumine cedit:
sed laevum genus atque inlustrem linquit in alto

plantam. tum contra exoritur clarum caput Hydrae
et Lepus et Procyon, qui sese fervidus infert
ante Canem: inde Canis vestigia prima videntur.
Non pauca e caelo depellens signa, repente
exoritur pandens inlustria lumina Virgo.
cedit clara Fides Cyllenia, mergitur unda
Delphinus, simul obtegitur depulsa Sagitta,
atque Avis ad summam caudam primasque recedit
pinnas et magnus pariter delabitur Amnis.
hic Equus a capite et longa cervice latescit:
longius exoritur iam claro corpore Serpens
Crateraque tenus lucet mortalibus Hydra.
inde pedes Canis ostendit iam posteriores,
et post ipse trahit claro cum lumine puppim:
insequitur labens per caeli lumina Navis,
et, cum iam toto processit corpore Virgo,
haec medium ostendit radiato stipite malum.
At cum procedunt obscuro corpore Chelae
exsistet pariter larga cum luce Bootes,
cuius in adversum est Arcturus corpore fixus,
totaque iam supera fulgens prolabitur Argo:
Hydraque, quod late caelo dispersa tenetur,
nondum tota patet, nam caudam contegit umbra.
Anguitenens autem renovata luce refulget.
iam dextrum genus et decoratam lumine suram
erigit ille vacans vulgato nomine Nixus,
qui Fidis Arcadicae semper confinia tangit:
quem nocte exstinctum atque exortum vidimus una,
persaepe ut parvum tranans geminaverit orbem.
hic genus et suram cum Chelis erigit alte;
ipse autem praeceps obscura nocte tenetur,
dum Nepa et Arcitenens invisant lumina caeli:
nam secum medium pandet Nepa, tollere vero
in caelum totum exoriens conabitur Arcus.
hic tribus elatus cum signis corpore toto
lucet; at exoritur media de parte Corona,
caudaque Centauri extremo candore refulget.
hic se iam totum caecas Equus abdit in umbras,
quem rutila fulgens pluma praetervolat Ales.
occidit Andromedae clarum caput et fera Pistrix
labitur, horribilis epulas funesta requirens.
hanc contra Cepheus non cessat tendere palmas:
illa usque ad spinam mergens se caerula condit.
at Cepheus caput atque umeros palmasque reclinat.

Cum vero vis est vehemens exorta Nepai,
late fusa volat: *in terras labitur unda,*
Orionque metu perculsus conditur una.
pace huius liceat causam explicuisse timoris,
virgo, tua: mihi quaeso veni placata, Diana.
haec fama est hominum, haec per terras fama vagatur:
ut quondam Orion manibus violasse Dianam
dicitur, excelsis errans in collibus amens,
quos tenet Aegaeo defixa in gurgite Chius,
Bacchica quam viridi convestit tegmine vitis.
ille feras vaecors amenti corde necabat,
Oenopionis avens epulas ornare nitentis.
at vero, pedibus subito percussa Dianae,
insula discessit disiectaque saxa revellens
perculit et caecas lustravit luce lacunas:
e quibus ingenti exsistit cum corpore prae se
Scorpios infestus praeportans flebile acumen.
hic valido cupide venantem perculit ictu,
mortiferum in venas fundens per volnera virus:
ille gravi moriens constravit corpore terram.
qua re cum magnis sese Nepa lucibus effert,
Orion fugiens commendat corpora terris.
tum vero fugit Andromeda et Neptunia Pistrix
tota latet: cedit converso corpore Cepheus,
extremas medio contingens corpore terras.
hic caput et superas potis est demergere partis:
infera lumborum numquam convestiet umbra.
nam retinent Arctoe, lustrantes lumine suras.
labitur illa simul, gnatam lacrimosa requirens,
Cassiepia, neque ex caelo depulsa decore
fertur: nam verso contingens vertice primum
terras, post umeris eversa sede refertur.
hanc illi tribuunt poenam Nereides almae,
cum quibus, ut perhibent, ausa est contendere forma.
haec obit inclinata: at pars exorta Coronae est
altera, cum caudaque omnis iam panditur Hydra.
at caput et totum sese Centaurus opacis
eripit e tenebris, linquens vestigia parva
antepedum contecta, simul cum lumine pandit
ipse feram dextra retinens, *sed cetera magni*
exspectant Arcus ortum. prolabitur inde
Anguitenens capite et manibus: profert simul Anguis
iam caput et summum flexo de corpore lumen.
Hic ille exoritur converso corpore Nixus,

alvum, crura, umeros simul et praecordia lustrans,
et dextra radios laeto cum lumine iactans.
inde Sagittipotens superas cum visere luces
institit, emergit Nixi caput, et simul effert
sese clara Fides et promit pectore Cepheus.
fervidus ille Canis toto cum corpore cedit;
abditur Orion; obit et Lepus abditus umbra;
inferiora cadunt Aurigae lumina lapsu.
crus dextrumque pedem linquens obit infera Perseus
in loca, tum cedens a puppi linquitur Argo.
  Inde obiens Capricornus ab alto lumine pellit
Aurigam instantemque Capram, parvos simul Haedos,
et magnam antiquo depellit nomine Navem.
obruitur Procyon: emergunt alite lapsu
e terris Volucres: exsistit clara Sagitta.
  Sed cum se medium caeli in regione locavit
magnus Aquarius et vestivit lumine terras,
tum pedibus simul et supera cervice iubata
cedit Equus fugiens: at contra signipotens nox
cauda Centaurum retinens ad se rapit ipsa,
nec potis est caput atque umeros obducere latos;
at vero serpentis Hydrae caligine caeca
cervicem atque oculorum ardentia lumina vestit:
hanc autem totam properant depellere Pisces.
surgit et Aegoceri vicinus ab aequore Piscis,
parte alia exspectans instantis sideris ortum:
sic humeri Andromedae et cum lassis incluta palmis
crura bipartito signorum tempore surgunt:
cum primum planis Pisces orientur ab undis,
Andromedae dextras dabitur tibi cernere partes;
at laevas Aries, linquens inferna locorum,
ostendit terris. illo sub tempore ferme
Hesperii servantem Aram confinia ponti,
Perseaque usque humeros Eoa in parte videbis.
hoc dubium est, cessansne Aries praecordia Persei
attrahat, an Taurus: Tauro simul aethera lustrat.
sed non desinere haec Tauro exoriente putarim:
nam vicina illis Aurigae sidera fulgent,
quem tamen haud totum dias in luminis oras
Taurus agit, Geminis sed enim completur in ipsis.
sed duplices Haedi et cum planta Capra sinistra
cum Bove se tollunt: tunc terga immania Pistrix
erigit et caeli splendentem in fornice caudam.
occidit ipse etiam prima iam parte Bootes.

quattuor hunc lato vix condunt sidera ponto,
laevaque inocciduae constans subvolvitur Ursae.
ambo pedes usque ad geminum genus Anguitenentis
cedentes caelo atque immensa sub aequora lapsi,
surgentes alibi poterunt monstrare Gemellos.
iam lateri Pistrix nulli vicina videtur,
mox visenda tamen, cum iam Fluvii agmina prima
in medio venient nautae cernenda profundo,
qui signum exspectans magnum manet Oriona;
nempe iter ut ratis et noctis mensura patescat,
qualia plura hominum generi di signa dederunt.

ARATI PROGNOSTICA
A GROTIO IN LATINUM CONVERSA
CUM FRAGMENTIS TULLIANIS.

(Grotio debentur quae litteris inclinatis expressa sunt.)

Primum equidem modicae parent cum cornua Phoebes
aequore ab Hesperio, nascentem cernere mensem est;
at cum prima deae tenuem lux emovet umbram,
luna tibi quartam properabit reddere lucem.
dimidia octavam, medium fax integra mensem
denotat atque alias aliis variata figuris
venturi numerum solita est narrare diei.
nempe extrema tibi poterunt edicere noctis
signiferi partes, magnum qui digerit annum.
quin et plantandi cum tempore tempus arandi
Iuppiter e celso cunctis monstravit Olympo.
navita venturos e caelo providet imbres,
et catus in medio saevos timet aequore nimbos,
Arcturum observans et cetera sidera ponto
aut crepera luce aut primis exacta tenebris.
scilicet haec longo rota fervida Solis in anno
permeat, aut pelago candens cum surgit Eoo,
aut ruber occidui cum mergitur aequoris undis,
cuncta suam spectant dum caeli sidera lucem.
scire tibi hoc facile est: namque isthaec omnia monstrant
bis quini atque novem Phoebei luminis orbes.
quid ferat Orion a zona clarus ad imum
iam nosti et rabido flagrantem Sirion aestu.
iam varias sortes terrae et maris e Iovis astris
nosse potes stellisque tridentiferi Neptuni.
his operam nava: nec si tibi quaerere durum,
si te sollicito cupias committere ponto,

quae tibi vel fluctus vel venti flamina monstrent.
est labor hic parvus: non praemia parva labori,
grandiaque assiduas edulcant gaudia curas.
ipse etenim sese servat sibi, servat et illum,
quem monet horrendum, sapiens, vitare periclum:
saepe adeo navem pelago sub nocte serenam
subducit, metuens venturam mane procellam.
tertia nunc illam, nunc quarta aurora videbit:
nunc subita incautos veniet super. omnia nondum
Iuppiter humanum docuit genus: abdita caecis
multa latent tenebris, quae, cum volet, ipse docebit
altitonans, qui nos praeclaris undique signis
adiuvat et sortis tradit monimenta futurae.
multa monet facies aut dimidiata Dianae,
aut utraque augens aut aucto lumine fulgens.
multa etiam Eoa surgens Sol aureus ora,
occiduamve petens: et sunt etiam altera signa,
plurima quae noctu vel clara luce videntur.
observa primum nitidae duo cornua Lunae,
illam alias alio depingit lumine Vesper,
et diversa redit variatae forma Dianae,
cum primo crescit, cum quarta et tertia fulget.
haec etiam instantem poterit tibi ducere mensem;
tertia nam tenui, sed puro sidere fulgens
suda erit: at raro paulum perfusa rubore
ventosa est: nullo si cornua acumine surgant,
quartaque quae sequitur crasso fax langueat igni,
aut Austro aut pluviae properis obtunditur undis.
quod si nec nutent nascentis cornua Lunae,
tertia nec iaceat resupina per aethera Phoebe,
cornua sed recte per caelum prona ferantur,
cras Tartessiacis Zephyrus spirabit ab oris.
at cum recta etiam quarta sub luce renidet,
collectam metues pluviam, tunc omnia nimbo
fervere deciduo cernes. cornu altius apte
inflexum Borean, resupinum parturit Austros.
sed si post triduum Lunam ruber ambiat orbis,
tempestas pelago, tempestas imminet agris:
quoque rubor maior, maior solet esse procella.
bis cum dimidio, cum pleno lumine fulget,
adspice, cum crescit, cum cornua prisca resumit,
adspice: signa tibi color haud dabit irrita mensis.
namque auram facies portendit pura serenam;
at cum tota rubet, furibundos indicat austros;

imber erit, nigro si sit variata colore.
tempora sed dandis non sunt paria omnia signis.
nam quae quarta tulit Phoebe vel tertia, durant
dimidiam ad lunam, quae dimidia, omnia tendunt
ad plenam; quae plena dedit, spectare videntur
dimidiam rursum, et quae tunc praebentur ab illa,
excipiet moribundi aut quarta aut tertia mensis.
si parilis totam Latoida circulus ambit,
aut terni geminive utraque ex parte locati;
unicus aut ventos nobis aut indicat aethram:
diruptus ventos, evanidus indicat aethram,
horriferos nimbos geminatus praemonet orbis,
maioresque trahit triplicata corona procellas;
maiores, si nigra iacet, si scinditur ultro.
haec tibi vel mensis vel Phoebe menstrua dicent.
nec Solem gemina spectare in litoris acta
poeniteat: Solem certissima signa sequentur:
cum surget, gelidis et cum se condet in undis.
nolim interstinctam, cum deseret aequora, lucem
cernere, si Soles optem radiare serenos;
malim unum nullis maculis spectare colorem:
si iuga demat equis pacato lumine Titan,
blandus et Hesperium subeat sine nubibus aequor,
pulchra serena die poteris sperare sequenti.
non ita si recavus summo de margine surgat,
fulgeat aut sparsis radiis: pars tendat ad Austrum,
pars eat ad Borean mediusque renideat orbis;
tunc aut suspectus tibi sit Notus aut gravis imber.
ut videas, subsitne suo lux splendida Soli,
inspice Solem ipsum (namque is certissimus auctor),
inspice, num rubeat (fieri quod saepe videmus:
creber enim educit contracta nube ruborem:)
an niger obscuret faciem: niger indicat imbres,
rubraque venturos species denuntiat Euros.
sin ruber incipiet color immiscerier atro,
omnia tunc Borea pariter pluviaque videbis
fervere: sin radii coëant crescantque sub unum,
cum pelago Titan terrisve admoverit orbem,
aut lateat victus per nubila, sive relicta
nocte petens lucem, seu noctem luce relicta,
illa dies pluvias et quae nascetur ab illa
proferet: Eoo nec si praeeuntia caelo
nubila Sol radiis picto disiecerit astro,
sis pluviae ignarus: si se Titanius orbis

Eoo late diffuderit aequore surgens,
inde magisque magisque exsparsum contrahat ignem,
dulcior aethra subest, pluvio se tempore quamquam
abdiderit Phoebus: si caelo decidit imber,
ex imbri alterius sortem te quaerere lucis
nubilaque et solem moneo spectare cadentem.
nam si nigrae obiens condatur carcere nubis
Phoebus et exiguo radii fulgore micantes
immensum nebulis circumfundantur in orbem,
non erit alterius melior fortuna diei.
purus at Hesperias si Sol labatur in undas,
cumque parat terris in aquas migrare relictis,
vicinae rubeant nubes, non crastinus imber,
non tibi nocturno est metuendus tempore nimbus.
si Solis radii nigris absconsa tenebris
marcentes nitido depromant lumina caelo,
ut cum Luna means Hyperionis officit orbi,
stinguuntur radii caeca caligine tecti;
aut Phoebo instantem tardanti reddere lucem,
se toto fundant late ignea nubila caelo,
non sicco praegnans arebit pulvere tellus,
nec tibi, si, superis cum Sol est proximus oris,
obscura radios praeeuntes luce videbis,
sit pudor aut pluviam aut ventos vitare futuros.
quoque adeo surgens primo iubar aequore condunt
maiores tenebrae, maior supereminet imber.
sin tenui lateant radii caligine, qualis
est tenerae facies nebulae et subtilibus umbris,
venturus rapidis Sol obscurabitur austris.
sed neque, si cingat nigro splendore corolla,
suda dabit, quoque est Solis vicinior astro,
quo nigrior, peior: binae saevissima signa.
adspice, num, terras cum Sol petit aut petit undas,
erubeant nubes (dixere Parelia Graii),
a Borea aut Austro aut a Borea et ab Austro;
adspice, et hanc secors non umquam neglige curam.
namque utrumque facis si nubila surgere cernes
aemula Phoebeae mediumque apud aequora Phoebum,
nulla mora est, subito densissimus ingruit imber.
sin Boreas unam caeli sub culmina nubem
emittat, metue a Borea, sin Auster, ab Austro.
iunctus erit nimbus, si iunctae nubibus undae.
quin etiam occidui spectabis litoris ora,
certa tibi occidui monstrabit litoris ora.

ast autem tenui quae candet lumine Phatne
signa dat in Cancro spectans aquilonia flabra
et geminae tenui stellae fulgore micantes:
has non distantes nimium nimiumve propinquas
dispescit spatium cubito non latius uno:
illa subit Borean, subit haec vicinior Austrum.
has Asinos dicunt, mediam Praesepe vocarunt,
quod subito liquidas saepe evanescit in auras,
cum caeli nituit genitabilis aura sereni,
coniungens geminos subtracto sidere Asellos:
postilia undosam poteris spectare procellam.
si nigra sit Phatne, geminis color unus in astris
si niteat, pluviis declivibus arva madebunt.
si Boreae propior languenti torpeat igne
nube latens caeca, niteat vicinior Austro,
par metuisse Notum est: contra hic si marceat, ille
fulgeat, a saevo ventos Aquilone notabis.
atque etiam ventos praemonstrat saepe futuros
inflatum mare, cum subito penitusque tumescit,
saxaque cana salis niveo spumata liquore
tristificas certant Neptuno reddere voces,
aut densus stridor cum celso e vertice montis
ortus adaugescit scopulorum saepe repulsus.
cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti
nuntiat horribilis clamans instare procellas,
haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.
cepphum etiam videas caelo volitare sereno
contra venturos connixum corpore ventos:
saepe feras anates cernas mergosve relicto
aequore mox tremulis tellurem plangere pennis;
aut iuga se supera montis distendere nubem:
quin etiam pappi, senium canentis acanthae,
dant venti indicium, numero cum forte videntur
innumero placidi fluitare per aequora ponti.
immo adeo ex illa, volitant qua dira per aestum
fulgura, parte potes venturos noscere flatus.
si videas stellas noctis volitare per umbram
praecipites longosque a tergo albescere tractus,
hoc iter emensi venient per inania venti.
si varia varias videas ex parte cadentes
in terras ruere et caeli per nubila ferri,
discordes tendent animae in diversa locorum,
et varia humanas percellent flamine mentes.
fulmen ubi ex Euro, fulmen volitabit ab Austro,

et Zephyro horriferisque Arctoi Aquilonis ab auris,
tunc nautae pavidos penetrat tremor algidus artus.
o utinam pelago ne tunc obsessus et imbre
mixto perhorrescat densatis fulgura nimbis!
saepe etiam pluvia poteris spectare futura
nubila ceu lanae per caelum vellera ferri:
tum gemino cingit caelum Thaumantias arcu,
aut aliqua atratam praeducit stella corollam:
crebra etiam volucris falsas et crebra palustris
haurit aquas potasque sitit vehementius undas.
saepe etiam pluviae praenuntia venit hirundo,
limosam tumido protundens ventre paludem.
vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnae,
cum clamore paratis inanis fundere voces
absurdoque sono fontis et stagna cietis.
saepe etiam pertriste canit de pectore carmen
et matutinis acredula vocibus instat,
vocibus instat et adsiduas iacit ore querellas,
cum primum gelidos rores aurora remittit;
fuscaque non numquam cursans per litora cornix
demersit caput et fluctum cervice recepit:
mollipedesque boves spectantes lumina caeli
naribus umiferum duxere ex aëre sucum.
saepius et tectis effert penetralibus ova
angustum formica terens iter, undique et albos
millepedes circa muros cernuntur iuli,
quaeque nigrae veteres dixerunt viscera terrae.
tunc quoque cristatae suboles gallina volucris
ore pedes legit et crocitans e gutture rauco
expressit sonitus undae stillantis in undam.
corvus et atratis velata monedula pennis
venturo terras madituras imbre monebunt,
accipitrum in morem si magnis garrula turmis
agmina concelebrent: gravibus vox aemula guttis
corvorum pluvias praedixit saepe futuras,
aut adeo streperas gaudens coniungere voces
increpuit crociens densis exercitus alis.
tunc mansuetae anates atque intra limina degens
graculus assiduis quatiunt suggrundia pennis:
tunc fulicae magnis poscunt clamoribus undas.
haec ne, si pluviae cupies cognoscere sortem,
despicias, nec cum solito maioribus ausis
purpuream muscae certant haurire cruorem,
aut nocte incipiunt putres concrescere fungi

ardenti in testa, gelidae vel tempore brumae
nunc se submisit sublimes ardor in auras,
et nunc deciduos ignes vomuere lucernae
ampullis similes tenuesve a lumine summo
dimanant radii, seu forte aestate serena
conspicias densas anatum volitare catervas,
aut igni appositas multo cum lumine cernis
scintillare ollas et multo ex aere lebetes,
in cinerive vides rutilas carbone tepenti
effervere notas, forma non dispare cenchris:
haec catus observa et pluviam sperare memento.
infima si montis videas sola cuncta tenebris
et caeca obvolvi nebula summumque cacumen
nulla nube premi, candenti fide sereno.
fide sereno etiam, ponti super aequora ferri
nubila si cernas, sed nondum vergere in altum,
ceu pelago eminulas videas consurgere rupes.
cum renitet sudum, venturam inquire procellam:
cumque procella furit, sudum: atque ante omnia Phatnen
adspice, quae curvi conclusa est sidere Cancri,
primum adeo abstersis cum fulget pura tenebris:
hac pura subito tempestas horrida cedit.
hinc tacitae in lychnis flammae, blandumque susurrans
noctua sub mediam noctem, marcescere sensim
horrisonas monstrant hiemes, et vespere sero
voce canens varia placidum cornicula carmen.
rauca etiam primum soli tunc murmura corvi
ingeminant et se magno post agmine iungunt,
atque alacri subeunt nocturna cubilia turma
cantantes multum: multum gaudere putares,
sic laetos mixtim iactant super aethera cantus:
et vel in aëriis ramis vel in arbore summa
concutiunt reduces Eoo tempore pennas.
tunc immensa gruum videas veniente sereno
agmina prolixo ferri super aëra tractu,
nec semel inceptum verso pede flectere cursum.
si subito astrorum nitidum iubar obscuretur,
nec densae abscondant atra caligine nubes,
nec nebulis, nec sint victrici obnoxia Lunae,
inclita sed proprio marcescant sidera motu,
tunc tibi non placidam promittit Iuppiter aethram,
sed tristes auras: caeli regione sub una
immotam videas illo quoque tempore nubem,
praeterlapsam aliam atque aliam post terga sequentem.

ibit et ad pastum magnis clangoribus anser;
saecula passa novem cornix tibi signa procellae
nocte dabit stridens serumque monedula cantans,
et surgente die passer reliquaeque volucres
aequora linquentes: tunc et spelaea subibit
orchilus et recavas latebras anquiret eritheus,
nocturnoque satur condetur graculus antro.
cum fera tempestas instat, nullae undique ceras
Phoenicias variarum apium struxere catervae,
mellifico ast intus sese accinxere labori:
atque iter inceptum refugo per aperta volatu
Strymoniae rupere grues et terga dederunt.
nec levis in placido cum fertur aranea caelo,
aut invita nitet manantis flamma lucernae,
aut tenuis cinerem percurrit fulgor ab igni,
neglige saevam hiemem. sed quid documenta futuri
multa tibi referam? cinis (et quid vilius illo?)
concretus nimium niveos denuntiat imbres:
praemonet hos et fax nocturni conscia pensi,
cum milio paribus candent ellychnia signis;
tunc spisso veniet glacialis ab aethere grando,
cum nitet extremus candenti lumine carbo,
sed medius nebulae tenui velatur amictu.
non caruit signis, quae non et fructibus, ilex,
non nigra lentiscus: ne forsan inutilis aestas
efflueret manibus, crebrum monuere colonum.
cum nigra densatis curvatur glandibus ilex,
invocat hibernae gelidissima tempora brumae.
sin modicos radix emittat vivida fructus,
nullo obsessa situ tellus florebit aristis.
iam vero semper viridis semperque gravata
lentiscus triplici solita grandescere fetu
ter fruges fundens tria tempora monstrat arandi.
nam tres esse ferunt promendi vomeris horas:
primus habet primam fructus mediusque secundam,
tertius extremo fetus respondet aratro.
si gravida egregios glandis lentiscus acervos
proferat, hoc largas sperabis ab omine messes,
et modica modicam, parca praenoscere parcam
glande potes: terno pariter quae tempore floret
squilla tibi dicet, quo surgant mergite culmi;
non quaecumque avidum lentiscus feta colonum
praemonuit, squillae poterunt tibi dicere flores.
si crebra autumno videas pereunte moveri

agmina vesparum, subitae si frigora brumae,
ante etiam Hesperio quam surgant Pleiades ortu,
praecipitant densoque ruit cum turbine vortex.
si porcae turpes et oves gracilesque capellae
exspectare mares aveant genitalibus arvis,
concubitusque novos semper iam nota voluptas
sollicitet, simili brumam ratione notabis.
si videt in Venerem tardas nec sponte moveri
securas nimium generis, cui pallia desunt,
gaudet inops, hiemes iussus sperare serenas:
gaudet et assueta gruibus venientibus hora
tempora qui servat, tardis et tardus arator.
namque grues venturae imitantur tempora brumae.
si subito veniunt densisque per aëra turmis,
immitis festinat hiems; si tardius illae
agmine non uno, non uno tempore tendunt,
lenis hiems serum veniens sata sera iuvabit.
si gravido autumno pecudes et bucera saecla
effodiant pedibus glebas obnixaque vento
sustentent capita, horrendis furibunda procellis
surget hiems, nostros fugiet cum lucida visus
Pleïas et miseros vexabit bruma colonos,
non tenerae plantae, flavo non utilis arvo.
quin potius totis iaceat nix plurima terris,
cum nondum grandes culmus distinxit aristas,
ut beet agricolam multo cum fenore tellus.
nolim equidem gemini pluresve unusve cometes
flammiferum ducant spatioso limite crinem,
ne sitiat toto tellus male fertilis anno:
nec qui continuam proscindit vomere terram,
si forte emittat volucres circumflua multas
insula, laetetur; timeat magis: obsita multo
ne squalore seges vanis eludat avenis
spes tumidas domini; sed ubi conspexerit illas,
gaudeat upilio, si quidem tunc lacte recenti
implebunt multum niveae mulctralia vaccae.
sic, miserandum! alios alienis vivere damnis
nos voluere dii et semper contraria vota
fundere et exiguis vanas spes pascere signis.
Venturas hiemes pecoris didicere magistri,
cum depulsi ovium properant ad pabula fetus,
lanigerique duces pecoris cum fortibus agnis
innixi gemino ludunt per compita cornu
hirsutosque pedes multo cum pulvere iactant,

corniugeri binos ductores, quattuor agni,
aut ubi iam sero processit Vesper Olympo,
inviti stabulum repetunt atque obvia carpunt
gramina nec missos curant in terga lapillos.
saepe etiam instantem minitari dira procellam
ruricolae docuere boves, cum lingere tentant
posteriora pedum glabris vestigia linguis
aut dextrum in stabulo ponunt latus: hisce magistris
stivae opus inceptum differt longaevus arator.
saepe etiam insolito mugitu pascua complent,
cum stabula et notos repetunt armenta penates,
floridaque invitae linquentes prata iuvencae
ante feras cupiunt ventrem saturasse procellas:
nec levis iliceis nimium capra dedita ramis
suda monet, multo nec circumfusa luto sus.
si secum in campis ululet solusque pererret
arva ignota lupus, quem dira coëgit egestas
non vitare homines, propiusque accedere suasit
mendico similem et dignam conquirere praedam,
tertius aequoreis cum surget Lucifer undis,
horrida tempestas instat: sic cetera cuncta
ventique pluviaeque et saevae signa procellae
ipsa sequensve dies aut tertia perficit Eos.
quin etiam parvos, despecta animalia, mures
confremere et laetas visos ductare choreas
usibus edocti non contempsere priores
sollicitosque canes: gemino pede nam sola terrae
dum canis infestat, saevas praenuntiat auras.
tunc etiam aequoreis exsurgit cancer ab undis,
solus et in sicca secum spatiatur arena:
inde domus socii mures e mollibus herbis
componunt pedibus lectos pluviamque futuram
venturasque hiemes gaudent eludere somnis.
haec ne despicias, sed signum iungere signo
esto memor: geminis rem praesignantibus unam
spes subeat; ternis rata sit fiducia signis.
quin et praeterito quaecumque notaveris anno,
confer et observa, quis sidera quaeque diebus
humanos fugiant visus fugiantve tenebras,
quidve astrum moneat: nec sit tibi quaerere durum,
quid vel nascenti primum vel quarta cadenti
mense ferat; luces namque hae, ceu vincula menses
connectunt geminos atque octo noctibus aether
lubricus est, tecta Phoebe cum luce laborat.

quae tu si totum fueris speculatus in annum,
certa tibi certum promet praesagia caelum.

V. ALCYONES.

Adulescens cum esset Gordianus (primus), poëmata scripsit, quae omnia exstant, et quidem cuncta illa quae Cicero, id est Marium et Aratum et Halcyonas et Uxorium et Nilum. quae quidem ad hoc scripsit, ut Ciceronis poëmata nimis antiqua viderentur. Iulius Capitolinus in Gordianis c. 3.

et Nilum] *et Limona* Casaubonus.

praevius dictus est antecedens. Cicero

Alcyon hunc genuit, claris delapsus ab astris,
praevius Aurorae solis noctisque satelles.

Nonius p. 65, 8.

'Olivetus Alcyon nomen pro libri titulo habuit, prioris versus principium deesse arbitratus. Sermo est autem, ut videtur, de Ceyce, coniuge Alcyones.' Nobbe.

VI. UXORIUS. VII. NILUS.

VIII. LIMON.

Cicero in Limone (Terentium) hactenus laudat:

tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
conversum expressumque Latina voce Menandrum
in medium nobis sedatis motibus affers,
quiddam come loquens atque omnia dulcia miscens.

Suetonius in vita Terentii c. 5. cf. Fr. Ritschl 'de poëtarum testimoniis, quae sunt in vita Terentii Suetoniana' p. XI sq. Imitatus est Ausonius in Protreptico ad nepotem (Idyll. IV, 58.):

tu quoque, qui Latium lecto sermone Terenti
comis et adstricto percurris pulpita socco,
ad nova vix memorem diverbia coge senectam.

IX. MARIUS.

Heri, non multo post quam tu a me discessisti, puto, quidam urbani, ut videbantur, ad me mandata et litteras attulerunt a C. Mario C. f. C. n. multis verbis, 'agere mecum per cognationem, quae mihi secum esset, per eum Marium, quem scripsissem, per eloquentiam L. Crassi, avi sui, ut se defenderem', causamque suam mihi perscripsit. Cicero ad Att. XII, 49, 1.

Marius scriptus videtur non multo ante a. u. 702., quo anno Cicero libros de legibus scribere instituit. Cf. M. Haupt 'Berichte über die Vhdlgen der kön. sächs. Ges. der Wissensch.' vol. I. p. 51.

1. *Atticus.* Lucus quidem ille et haec Arpinatium quercus agnoscitur saepe a me lectus in Mario. -- *Quintus.* -- dum Latinae loquentur litterae, quercus huic loco non deerit, quae Mariana dicetur, eaque, ut ait Scaevola de fratris mei Mario, 'canescet saeclis innumerabilibus.' -- qua re glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit

nuntia fulva Iovis, miranda visa figura,

nunc sit haec. sed cum eam tempestas vetustasve consumpserit, tamen erit his in locis quercus, quam Marianam vocabunt. *Att.* Non dubito id quidem; sed hoc non iam ex te, Quinte, quaero, verum ex ipso poëta, tuine versus hanc quercum severint, an ita factum de Mario, ut scribis, acceperis. -- atqui multa quaeruntur in Mario fictane an vera sint, et a non nullis, quod et in recenti memoria et in Arpinati homine versere, veritas a te postulatur. *Marcus.* Et me hercule ego me cupio non mendacem putari, sed tamen non nulli isti, Tite noster, faciunt imperite, qui in isto periculo non ut a poëta, sed ut a teste veritatem exigant; nec dubito quin idem et cum Egeria conlocutum Numam et ab aquila Tarquinio apicem inpositum putent. *Q.* Intellego te, frater, alias in historia leges observandas putare, alias in poëmate. *M.* Quippe cum in illa ad veritatem, Quinte, referantur, in hoc ad delectationem pleraque: quamquam et apud Herodotum, patrem historiae, et apud Theopompum sunt innumerabiles fabulae. Cicero de legib. I, 1—5.

2. quid est (Q. frater M. Ciceronem adloquitur) illo auspicio divinius, quod apud te in Mario est? ut utar potissimum auctore te:

hic Iovis altisoni subito pinnata satelles
arboris e trunco serpentis saucia morsu
subrigit, ipsa feris transfigens unguibus, anguem
semanimum et varia graviter cervice micantem;
quem se intorquentem lanians rostroque cruentans,
iam satiata animos, iam duros ulta dolores,
abiecit ecflantem et laceratum adfligit in unda,
seque obitu a solis nitidos convertit ad ortus.
hanc ubi praepetibus pinnis lapsuque volantem
conspexit Marius, divini numinis augur,
faustaque signa suae laudis reditusque notavit,
partibus intonuit caeli pater ipse sinistris.
sic aquilae clarum firmavit Iuppiter omen.

Cicero de divinat. I, 106.

3. paro navigium piratarum usui aptum et ex iis ita vocatum. Cicero:

tunc se fluctigero tradit mandatque paroni.

Isidorus Orig. XIX, 1, 20.

fluctigero] *fluctiseco* Hermannus, *fluctifrago* Nobbe.

4. ego vero

in montis patrios et ad incunabula nostra
pergam.

Cicero ad Att. II, 15, 3.

Huc retulit Tunstallus, alii ad Consulatum.

X. CONSULATUS SIVE DE TEMPORIBUS SUIS.

a. TESTIMONIA

ET DE COMMENTARIO GRAECO ET DE LATINO POEMATE.

1. commentarium consulatus mei Graece compositum misi ad te, in quo si quid erit, quod homini Attico minus Graecum eruditumque videatur, non dicam, quod tibi, ut opinor, Panhormi Lucullus de suis

historiis dixerat, se, quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam et soloeca dispersisse: apud me si quid erit eius modi, me imprudente erit et invito. Latinum si perfecero, ad te mittam. tertium poëma exspectato, ne quod genus a me ipso laudis meae praetermittatur. Cicero ad Att. I, 19, 10. (a. u. 694.)

2. de meis scriptis, misi ad te Graece perfectum consulatum meum: eum librum L. Cossinio dedi. puto te Latinis meis delectari, huic autem Graeco Graecum invidere. alii si scripserint, mittemus ad te, sed, mihi crede, simul atque hoc nostrum legerunt, nescio quo pacto retardantur. Cicero ad Att. I, 20, 6. (a. u. 694.)

3. Kal. Iuniis eunti mihi Antium et gladiatores M. Metelli cupide relinquenti venit obviam tuus puer: is mihi litteras a te et commentarium consulatus mei Graece scriptum reddidit; in quo laetatus sum me aliquanto ante de isdem rebus Graece item scriptum librum L. Cossinio ad te perferundum dedisse: nam si ego tuum ante legissem, furatum me abs te esse diceres. -- meus autem liber totum Isocrati myrothecium atque omnis eius discipulorum arculas ac non nihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit; quem tu Corcyrae, ut mihi aliis litteris significas, strictim attigisti, post autem, ut arbitror, a Cossinio accepisti; quem tibi ego non essem ausus mittere, nisi eum lente ac fastidiose probavissem. quamquam ad me scripsit iam Rhodo Posidonius se, nostrum illud *ὑπόμνημα* cum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de isdem rebus scriberet, miseram, non modo non excitatum esse ad scribendum, sed etiam plane perterritum. -- tu, si tibi placuerit liber, curabis ut et Athenis sit et in ceteris oppidis Graeciae; videtur enim posse aliquid nostris rebus lucis adferre. Cicero ad Att. II, 1, 1 sq. (a. u. 694.)

4. scripsi etiam versibus tris libros de temporibus meis, quos iam primum ad te misissem, si esse edendos putassem — sunt enim testes et erunt sempiterni meritorum erga me tuorum meaeque pietatis —, sed verebar non eos, qui se laesos arbitrarentur — etenim id feci parce et molliter —, sed eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnis nominare; quos tamen ipsos libros, si quem, cui recte committam, invenero, curabo ad te perferendos. Cicero (ad P. Lentulum) ad famil. I, 9, 23. (a. u. 700.)

5. tu scribis poëma ab eo (Caesare) nostrum probari. Cicero ad Q. fr. II, 13, 2. (a. u. 700.)

6. quomodonam, mi frater, de nostris versibus Caesar? nam primum librum se legisse scripsit ad me ante, et prima sic, ut neget se ne Graeca quidem meliora legisse; reliqua ad quendam locum *ῥᾳθυμότερα*: hoc enim utitur verbo. dic mihi verum, num aut res eum aut *χαρακτὴρ* non delectat? nihil est quod vereare: ego enim ne pilo quidem minus me amabo. Cicero ad Q. fr. II, 15, 5. (a. u. 700.)

7. de consulatu suo (Cicero) scripsit poëtico metro, quae mihi videntur opera minus digna talis viri nomine. Schol. Bob. in orat. pro Plancio §. 74. p. 267, 19 sqq. ed. nostrae.

b. FRAGMENTA

α. COMMENTARII GRAECI.

1. *ἐν τῷ περὶ ὑπατείας ὁ Κικέρων νύκτωρ φησὶ τὸν Κράσσον ἀφικέσθαι, πρὸς αὐτὸν ἐπιστολὴν κομίζοντα τὰ περὶ τοῦ Κατιλίνα ἐξηγουμένην, ὡς ἤδη βεβαιοῦντα τὴν συνωμοσίαν.* Plutarchus Crass. c. 13. cf. Caes. c. 8.

2. *προθέμενος (ὁ Κικέρων) πάντα τὰ τῇ πόλει πεπραγμένα συγγράψαι (καὶ γὰρ σοφιστὴς καὶ ποιητὴς καὶ φιλόσοφος καὶ ῥήτωρ καὶ συγγραφεὺς εἶναι πλάττεται) ἔπειτ' οὐκ ἀπὸ τῆς κτίσεως αὐτῆς, ὥσπερ οἱ ἄλλοι οἱ τοῦτο ποιοῦντες, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ὑπατείας τῆς ἑαυτοῦ ἤρξατο, ἵνα ἀνάπαλιν προχωρῶν ἀρχὴν μὲν τοῦ λόγου ἐκείνην, τελευτὴν δὲ τὴν τοῦ Ῥωμύλου βασιλείαν ποιήσηται.* Dio Cassius (in oratione Q. Fufii Caleni) XLVI, 21.

β. LATINI POEMATIS.

EX LIBRO I.

aspice, corripuit tremulis altaria flammis sponte sua] sine igne subito ex ipsis cineribus flamma emersit. hoc uxori Ciceronis dicitur contigisse: cum post peractum sacrificium libare vellet in cinerem, ex ipso cinere flamma surrexit, quae flamma eodem anno consulem futurum ostendit eius maritum, sicut Cicero in suo testatur poëmate. Servius ad Virgil. Bucol. VIII, 106.

EX LIBRO II.

1. sed quo potius utar (Q. frater M. Ciceronem adloquitur) aut auctore aut teste quam te? cuius edidici etiam versus, et lubenter quidem, quos in secundo Consulatus Urania musa pronuntiat:

principio aetherio flammatus Iuppiter igni
vertitur et totum conlustrat lumine mundum
menteque divina caelum terrasque petessit,
quae penitus sensus hominum vitasque retentat,
aetheris aeterni saepta atque inclusa cavernis.
et si stellarum motus cursusque vagantis
nosse velis, quae sint signorum in sede locatae,
quae verbo et falsis Graiorum vocibus errant,
re vera certo lapsu spatioque feruntur,
omnia iam cernes divina mente notata.
nam primum astrorum volucris te consule motus
concursusque gravis stellarum ardore micantis
tu quoque, cum tumulos Albano in monte nivalis
lustrasti et laeto mactasti lacte Latinas,
vidisti et claro tremulos ardore cometas,
multaque misceri nocturna strage putasti:
quod ferme dirum in tempus cecidere Latinae,
cum claram speciem concreto lumine luna
abdidit et subito stellanti nocte perempta est.
quid vero Phoebi fax, tristis nuntia belli,
quae magnum ad columen flammato ardore volabat,
praecipitis caeli partis obitusque petessens?
aut cum terribili percussus fulmine civis
luce serenanti vitalia lumina liquit?
aut cum se gravido tremefecit corpore tellus?
iam vero variae nocturno tempore visae

terribiles formae bellum motusque monebant,
multaque per terras vates oracla furenti
pectore fundebant tristis minitantia casus;
atque ea, quae lapsu tandem cecidere vetusto,
haec fore perpetuis signis clarisque frequentans
ipse deum genitor caelo terrisque canebat.
nunc ea, Torquato quae quondam et consule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenae gentis haruspex,
omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
nam pater altitonans stellanti nixus Olympo
ipse suos quondam tumulos ac templa petivit
et Capitolinis iniecit sedibus ignis.
tum species ex aere vetus venerataque Nattae
concidit, elapsaeque vetusto numine leges,
et divom simulacra peremit fulminis ardor.
hic silvestris erat Romani nominis altrix,
Martia, quae parvos Mavortis semine natos
uberibus gravidis vitali rore rigabat:
quae tum cum pueris flammato fulminis ictu
concidit atque avolsa pedum vestigia liquit.
tum quis non artis scripta ac monumenta volutans
voces tristificas chartis promebat Etruscis?
omnes civilem generosa stirpe profectam
vitare ingentem cladem pestemque monebant,
vel legum exitium constanti voce ferebant,
templa deumque adeo flammis urbemque iubebant
eripere et stragem horribilem caedemque vereri:
atque haec fixa gravi fato ac fundata teneri,
ni prius excelsum ad columen formata decore,
sancta Iovis species claros spectaret in ortus.
tum fore ut occultos populus sanctusque senatus
cernere conatus posset, si solis ad ortum
conversa, inde patrum sedes populique videret.
haec tardata diu species multumque morata
consule te tandem celsa est in sede locata,
atque una fixi ac signati temporis hora
Iuppiter excelsa clarabat sceptra columna;
et clades patriae flamma ferroque parata
vocibus Allobrogum patribus populoque patebat.
rite igitur veteres, quorum monumenta tenetis,
qui populos urbisque modo ac virtute regebant,
rite etiam vestri quorum pietasque fidesque
praestitit ac longe vicit sapientia cunctos,
praecipue coluere vigenti numine divos;

haec adeo penitus cura videre sagaci
otia qui studiis laeti tenuere decoris,
inque Academia umbrifera nitidoque Lyceo
fuderunt claras fecundi pectoris artis:
e quibus ereptum, primo iam a flore iuventae,
te patria in media virtutum mole locavit.
tu tamen anxiferas curas requiete relaxans,
quod patriae vacat, id studiis nobisque sacrasti.

Cicero de divinat. I, 17—22. Capitolium, quod est Romanae urbis et religionis caput summum, non semel, sed saepius fulmine ictum conflagravit. homines autem ingeniosi quid de hoc existimaverint, ex dicto Ciceronis apparet, qui ait divinitus exstitisse illam flammam, non quae terrestre illud domicilium Iovis deleret, sed quae sublimius magnificentiusque deposceret. qua de re etiam in libris Consulatus sui eadem dixit quae Lucretius (II, 1101 sq.): nam pater altitonans -- iniecit sedibus ignis. Lactantius Instit. divin. III, 17. urgues me meis versibus: nam pater altitonans -- iniecit sedibus ignis. Cicero de divinat. II, 45.

2. Cicero Consulatus sui lib. II:

atque animo pendens † noctu eventa timebat.

Nonius p. 204.

nocturna eventa Orellius.

3. mirificum embolium cogito in secundum meorum librorum includere, dicentem Apollinem in concilio deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus esset, quorum alter (L. Piso) exercitum perdidisset, alter (A. Gabinius) vendidisset. Cicero ad Q. fr. III, 1, 24.

4. placiturum tibi esse librum meum suspicabar; tam valde placuisse, quam scribis, valde gaudeo. quod me admones de nostra Urania suadesque ut meminerim Iovis orationem, quae est in extremo illo libro, ego vero memini et illa omnia mihi magis scripsi quam ceteris. Cicero ad Q. fr. II, 7 [9], 1.

de nostra Urania Malaspina: *de non curantia* M.

EX LIBRO III.

sed me † *κατακρεσις* mea illa commovet, quae est in libro tertio:

interea cursus, quos prima a parte iuventae,
quosque adeo consul virtute animoque petisti,
hos retine atque auge famam laudesque bonorum.

haec mihi cum in eo libro, in quo multa sunt scripta *ἀριστοκρατικῶς*, Calliope ipsa praescripserit, non opinor esse dubitandum, quin semper nobis videatur *εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης*. Cicero ad Att. II, 3, 3.

FRAGMENTA INCERTAE SEDIS.

1. census generis masculini. neutri Cicero in Consulatu suo:

quorum luxuries † fortuna censa peperit.

Nonius p. 202, 22.

fortunae censa peredit Lipsius.

2. illud autem optimum est, in quod invadi solere ab inprobis et invidis audio:

cedant arma togae, concedat laurea laudi.

Cicero de offic. I, 77. Cf. Cic. in Pison. §. 72 sqq. Philipp. II, 20. egeris, oro te, Cicero, perfeceris quod libet: satis est perpessos esse: etiamne aures nostras onerabis tuo odio? etiamne molestissimis verbis insectabere?

cedant arma togae, concedat laurea linguae.

quasi vero togatus et non armatus ea, quae gloriaris, confeceris, atque inter te Sullamque dictatorem praeter nomen imperii quidquam interfuerit. Pseudosallustius in Ciceronem §. 6. an ego tunc falso scripsi cedant arma togae, qui togatus armatos et pace bellum oppressi? Pseudocicero in Sallustium §. 7. ἡ Κικέρωνος ἐν τοῖς λόγοις ἀμετρία τῆς περιαυτολογίας ἀκρασίαν τινὰ κατηγόρει πρὸς δόξαν βοῶντος, ὡς 'τὰ ὅπλα ἔδει τῇ τηβέννῳ καὶ τῇ γλώττῃ τὴν θριαμβικὴν ὑπείκειν δάφνην.' Plutarchus in comparatione Demosthenis cum Cicerone c. 2. per arma bellum significat et est tropus metonymia. nam arma, quibus in bello utimur, pro bello posuit, sicut toga, qua in pace utimur, pro pace ponitur, ut Cicero cedant arma togae, id est bellum paci. Servius ad Virgil. Aen. I, 1.

3. videndum ne syllabae verbi prioris ultimae sint primae sequentis. id ne quis praecipi miretur, Ciceroni excidit in carmine:

o fortunatam natam me consule Romam!

Quintilianus IX, 4, 41. Diomedes p. 461. P. p. 466, 1. K. Iuvenalis Sat. X, 122. Pseudosallustius in Ciceronem §. 5. Pseudocicero in Sallustium §. 7.

4. in carminibus utinam (M. Tullius) pepercisset, quae non desierunt carpere maligni

cedant arma togae, concedat laurea laudi;

et

o fortunatam natam me consule Romam!

et 'Iovem illum, a quo in concilium deorum advocatur' (cf. supra fragm. 4. ex libro II.); et 'Minervam, quae artes eum docuit;' quae sibi ille secutus quaedam Graecorum exempla permiserat. Quintilianus XI, 1, 24. sed quid ego plura de tua insolentia commemorem? quem Minerva omnis artes edocuit, Iuppiter optimus maximus in concilium deorum admisit, Italia exsulem humeris suis reportavit. Pseudosallustius in Ciceronem §. 7.

5. item 'quasi' constat pyrrichio, ut Tullius:

nam quasi vos sibi dedecori genuere parentes.

[Probus] de ult. syll. p. 248, 15. Keil.

Hoc fragmentum ego primus addidi et ad poëma de rebus suis retuli.

XI. POEMA AD CAESAREM DE EXPEDITIONE BRITANNICA.

1. facis tu quidem fraterne, quod me hortaris, sed me hercule currentem nunc quidem, ut omnia mea studia in istum unum (Caesarem) conferam. ego vero ardenti quidem studio, ac fortasse efficiam, quod saepe viatoribus, cum properant, evenit, ut, si serius, quam voluerint,

forte surrexerint, properando etiam citius, quam si de nocte vigilassent, perveniant quo velint, sic ego, quoniam in isto homine colendo tam indormivi diu, te mehercule saepe excitante, cursu corrigam tarditatem cum equis, tum vero quadrigis poëticis. modo mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis, penicillo meo. sed quid ago? quod mihi tempus, Romae praesertim, ut iste me monet, manenti, vacuum ostenditur? sed videro; fortasse enim, ut fit, vincet tuus amor omnis difficultates. Cicero ad Q. fr. II, 13[15a], 2. (mense Iunio a. u. 700.)

2. poëma ad Caesarem, quod institueram, incidi. Cicero ad Q. fr. III, 1, 11. (mense Septembri a. u. 700.)

3. de virtute et gravitate Caesaris, quam in summo dolore adhibuisset, magnam ex epistola tua cepi voluptatem. quod me institutum ad illum poëma iubes perficere, etsi distentus cum opera, tum animo sum multo magis, tamen, quoniam ex epistola, quam ad te miseram, cognovit Caesar me aliquid esse exorsum, revertar ad institutum idque perficiam his supplicationum otiosis diebus, quibus Messallam iam nostrum reliquosque molestia levatos vehementer gaudeo. Cicero ad Q. fr. III, 8, 3. (mense Novembri a. u. 700.)

4. quod me hortaris, ut absolvam, habeo absolutum suave, mihi quidem ut videtur, *ἔπος* ad Caesarem, sed quaero locupletem tabellarium, ne accidat quod Erigonae tuae, cui soli Caesare imperatore iter ex Gallia tutum non fuit. Cicero ad Q. fr. III, 9, 6. (exeunte mense Novembri a. u. 700.)

XII. ELEGIA TALEMASTIS.

palumbes, columbae, quas vulgus tetas vocat, et non dicuntur latine; sed multorum auctoritas Latinum facit. Cicero in elegeia, quae Talemastis inscribitur:

> iam mare Tyrrhenum longe penitusque palumbes
> relliquit.

Servius ad Virgil. Bucol. I, 58.

Titulum elegiae manifesto corruptum ex codicum variis corruptelis emendare conati sunt, Heinsius scribendo 'Thalia maesta', Urlichs 'Italia maesta', alii aliter.

XIII. PONTIUS GLAUCUS.

Κικέρων γενόμενος, ὥσπερ ὁ Πλάτων ἀξιοῖ τὴν φιλομαθῆ καὶ φιλόσοφον φύσιν, οἷος ἀσπάζεσθαι πᾶν μάθημα καὶ μηδὲν λόγου μηδὲ παιδείας ἀτιμάζειν εἶδος, ἐρρύη πως προθυμότερον ἐπὶ ποιητικήν. καί τι καὶ ποιημάτιον ἔτι παιδὸς αὐτοῦ διασώζεται, Πόντιος Γλαῦκος, ἐν τετραμέτρῳ πεποιημένον. προϊὼν δὲ τῷ χρόνῳ καὶ ποικιλώτερον ἀπτόμενος τῆς περὶ ταῦτα μούσης ἔδοξεν οὐ μόνον ῥήτωρ, ἀλλὰ καὶ ποιητὴς ἄριστος εἶναι Ῥωμαίων. ἡ μὲν οὖν ἐπὶ τῇ ῥητορικῇ δόξα μέχρι νῦν διαμένει, καίπερ οὐ μικρᾶς γεγενημένης περὶ τοὺς λόγους καινοτομίας, τὴν δὲ ποιητικὴν αὐτοῦ, πολλῶν εὐφυῶν ἐπιγενομένων, παντάπασιν ἀκλεῆ καὶ ἄτιμον ἔρρειν συμβέβηκεν. Plutarchus in vita Ciceronis c. 2.

XIV. EPIGRAMMATA.

1. hyperbolen audacioris ornatus summo loco posui. est haec decens veri superiectio. virtus eius ex diverso par augendi atque minuendi. -- nec pauciora sunt genera minuendi: 'vix ossibus haerent.' et quod Cicero in quodam ioculari libello:

fundum Vetto vocat, quem possit mittere funda:
ni tamen exciderit, qua cava funda patet.

Quintilianus VIII, 6, 73.

2. Hyperbole est dictio fidem excedens augendi minuendive gratia: augendi, ut 'nive candidior', 'velocior Euro'; minuendi, ut 'tardior testudine leviorque foliis'; item ut

extractam puteo situlam qui ponit in horto,
ulterius standi non habet ipse locum.

Charisius p. 246. P. p. 275, 23 sqq. K. Diomedes p. 457. P. p. 461, 21 sqq. K.

3. legebantur in Laurentino mihi libri Asini Galli de conparatione patris et Ciceronis: incidit EPIGRAMMA CICERONIS IN TIRONEM SUUM. dein, cum meridie (erat enim aestas) dormiturus me recepissem nec obreperet somnus, coepi reputare maximos oratores hoc studii genus et in oblectationibus habuisse et in laude posuisse. intendi animum contraque opinionem meam post longam desuetudinem perquam exiguo temporis momento id ipsum, quod me ad scribendum sollicitaverat, his versibus exaravi:

cum libros Galli legerem, quibus ille parenti
ausus de Cicerone dare est palmamque decusque,
lascivum inveni lusum Ciceronis et illo
spectandum ingenio, quo seria condidit et quo
humanis salibus multo varioque lepore
magnorum ostendit mentes gaudere virorum.
nam queritur quod fraude mala frustratus amantem
paucula cenato sibi debita savia Tiro
tempore nocturno subtraxerit. his ego lectis
'cur post haec' inquam 'nostros celamus amores,
nullumque in medium timidi damus, adque fatemur
Tironisque dolos, Tironis nosse fugaces
blanditias et furta novas addentia flammas?'

Plinius Epist. VII, 4, 3 sqq.

4. dicere praeterea non destitit (Cicero):

vigilantem habemus consulem Caninium,
qui in consulatu somnum non vidit suo.

Macrobius Saturn. II, 3, 6. Cf. supra p. 86. n. 21. Burmanni Anthol. Lat. II, 128. ed. Meyeri n. 63.

5. pari animo Lacedaemonii in Thermopylis occiderunt, in quos Simonides:

dic, hospes, Spartae nos te hic vidisse iacentis,
dum sanctis patriae legibus obsequimur.

Cicero Tusc. disp. I, 101. cf. Herodot. VII, 228. Anthol. Palat. VII, 249. (Huic et sequenti epigrammati aptior locus erat supra p. 95. inter varios versiculos e Graeco in Latinum conversos.)

6. quo modo igitur iucunda vita potest esse, a qua absit prudentia, absit moderatio? ex quo Sardanapalli, opulentissimi Syriae regis, error adgnoscitur, qui incidi iussit in busto:

haec habeo, quae edi quaeque exsaturata libido
hausit: at illa iacent multa et praeclara relicta.

Cicero Tusc. disp. V, 101. cf. Strabo XIV, 5, 9.

XV. QUINTI CICERONIS VERSUS QUIDAM DE XII SIGNIS.

Flumina verna cient obscuro lumine Pisces,
curriculumque Aries aequat noctisque dieque,
cornua quem comunt, florum praenuntia, Tauri,
aridaque aestatis Gemini primordia pandunt,
longaque iam minuit praeclarus lumina Cancer,
languificosque Leo proflat ferus ore calores.
post modicum quatiens Virgo fugat orta vaporem.
autumni reserat portas aequatque diurna
tempora nocturnis dispenso sidere Libra,
et fetos ramos denudat flamma Nepai.
pigra Sagittipotens iaculatur frigora terris.
bruma gelu glacians iubare spirat Capricorni:
quam sequitur nebulas rorans liquor altus Aquari:
tanta supra circaque vigent ubi flumina. mundi
at dextra laevaque ciet rota fulgida Solis
mobile curriculum, et Lunae simulacra feruntur.
squama sub aeterno conspectu torta Draconis
eminet: hanc inter fulgentem sidera septem
magna quatit stellans, quam servans serus in alta
conditur Oceani ripa cum luce Bootes.

Burmanni Anthol. Lat. V, 41. ed. Meyeri n. 66.

XVI. EIUSDEM AUT ALIUS EPIGRAMMATA DE AMORE FEMINARUM.

1. crede ratem ventis, animum ne crede puellis:
namque est feminea tutior unda fide.
2. femina nulla bona est et, si bona contigit ulla,
nescio quo fato res mala facta bona.

Burmanni Anthol. Lat. III, 88. ed. Meyeri n. 245. utrumque epigramma iungens; divisit Lemaire. — *quo fato*] *quo pacto* Luc. Müller.

K. FRAGMENTA VARII ARGUMENTI EX LIBRIS INCERTIS.

1. Cicero lux doctrinarum altera meliora inquit unguenta sunt quae terram quam quae crocum sapiunt. (Plinius N. H. XVII, 38. in M. Ciceronis monimentis invenitur unguenta gratiora esse quae terram quam quae crocum sapiant. Plinius N. H. XIII, 21. licet hoc videre in reliquis sensibus, unguentis minus diu nos delectari summa et acerrima suavitate conditis quam his moderatis, et magis laudari quod terram quam quod crocum sapere videatur. Cicero de oratore III, 99.

2. Cicero certe Graecorum Metrodorum Scepsium et Empylum

Rhodium nostrorumque Hortensium tradidit quae cogitaverant ad verbum in agendo retulisse. Quintilianus X, 6, 4.

3. si calor ac spiritus tulit, frequenter accidit ut successum extemporalem consequi cura non possit. deum tunc adfuisse, cum id evenisset, veteres oratores, ut Cicero dicit, aiebant. Idem X, 7, 13.

4. studendum vero semper et ubique; neque enim fere tam est ullus dies occupatus, ut nihil lucrativae, ut Cicero Brutum facere tradit, operae ad scribendum aut legendum aut dicendum rapi aliquo momento temporis possit. (cf. Cic. Orat. §. 34.) si quidem C. Carbo etiam in tabernaculo solebat hac uti exercitatione dicendi. ne id quidem tacendum, quod eidem Ciceroni placet, nullum nostrum usquam negligentem esse sermonem: quidquid loquemur ubicumque, sit pro sua scilicet portione perfectum. Idem X, 7, 27 sq.

5. id quoque plurimum refert, quomodo audire iudex velit, atque eius vultus saepe ipse rector est dicentis, ut Cicero praecipit. Idem XII, 10, 56. Cf. Cic. pro Cluentio §. 89: 'voltus enim vestri, iudices, me invitant ut, quae reticenda putaram, libeat iam libere dicere.'

6. 7. Cicero quodam loco scribit, id esse optimum, quod, cum te facile credideris consequi imitatione, non possis. alio vero, non id egisse, ut ita diceret, quo modo se quilibet posse confideret, sed quo modo nemo. Quintilianus XI, 1, 92.

8. quotienscumque specialiter aliquid volumus includere, his tribus includimus 'suo, proprio, certo,' ut Tullius: suis eum certis propriisque criminibus accusabo. Victorinus p. 215, 19 sqq. ed. Halm.

9. in coniecturalibus causis hinc argumenta sumuntur: a personis, causis, facultatibus, verisimilibus, signis. - - item proferuntur auditiones, suspiciones, spolia, quaestiones, indices, fama vel opiniones et multa similia, quae rerum varietas subministrat. a persona, ut Cicero pro Cluentio (§. 70.) cum esset inquit egens -- suam coepit. a causa: satisne igitur cernitis, quibus ille mercedibus, quibus emolumentis, quibus praemiis incitatus et cetera. Iulius Severianus praec. art. rhet. §. 13. p. 361, 24 sq. ed. Halm.

10. fama vel opinio, ut Cicero: opinio fuit duplex, una non abhorrens ab statu naturaque rerum et reliqua. Iulius Severianus praec. art. rhet. §. 14. p. 362, 18 sqq. Halm.

[11. denique et Tullius expositis horum omnium de immortalitate ac morte sententiis nescire se, quid sit verum, pronuntiavit. 'harum' inquit (Tusc. disp. I, 23.) 'sententiarum quae vera sit, deus aliqui viderit.' et rursus alibi quoniam utraque inquit earum sententiarum doctissimos habuit auctores, nec quid certi sit divinari potest. Lactantius Instit. div. VII, 8, 9. Cf. supra p. 72. n. 9.]

12. Pomponio Attico et M. Tullio (placet Romam conditam) Olympiadis sextae anno tertio. Solinus c. 1, 27. cf. Cic. de re p. II, 18.

13. hic est verissimus ritus, haec est illa lex dei, ut a Cicerone dictum est, praeclara et divina, semper quae recta et honesta iubet, vetat prava et turpia; cui parentem sanctissimae ac certissimae legi iuste ac legitime necesse est vivere. Lactantius Instit. div. VI, 24, 29. Cf. Philipp. XI, 28: est enim lex nihil aliud nisi

recta et a numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria.

14. philosophiam -- di quibusdam paucis, ait Tullius, veram dederunt. Augustinus de civit. dei XXII, 22, 4.

15. imperator -- per suppliciorum diversitates effrenatius exsultavit sententiae illius Tullianae ignarus docentis infelices esse eos, qui omnia sibi licere existimarent. Ammianus Marcellinus XXVI, 10, 12.

16. si non ad libertatem vera dicendi, sed ad licentiam maledicendi tempus exspectant, absit ut eis eveniat quod ait Tullius de quodam, qui peccandi licentia felix appellabatur: o miserum, cui peccare licebat! Augustinus de civit. dei V, 27. vitandum ne in notissimos versus et maxime heroicos structura fundatur iambicosque versus, quamvis eos Cicero non evitet et heroici versus finem vel initium non declinet, cum dicit o miserum, cui peccare licebat. Martianus Capella de rhetorica c. 34. p. 475, 9 sqq. ed. Halm.

17. Romani maximus auctor Tullius eloquii nullum umquam verbum inquit de quodam quod revocare vellet emisit. Augustinus ep. CXLIII [VII], 3.

Hoc fragmentum ad Catonem retulit Patricius, ad Africanum maiorem Beier coll. Velleio Paterc. I, 12, 3.

18. est Ciceronis in dialogo: Fanni, causa difficilis, laudare puerum; non enim res laudanda, sed spes est. Servius ad Virg. Aen. VI. v. 877. similium fere quadruplex ratio est; nam est primum, quotiens verbum verbo aut non dissimile valde quaeritur, ut - - -: non enim tam spes laudanda quam res est. Quintilianus IX, 3, 75. cf. vol. VIII. p. 247. n. 8.

[19. definitio fati secundum Tullium, qui ait: fatum est conexio rerum per aeternitatem se invicem tenens, quae suo ordine et lege [*sic*] variatur, ita tamen, ut ipsa varietas habeat aeternitatem. Servius ad Virg. Aen. III, 376. Cf. Cic. de divinat. I, 125.]

20. M. Cicero tradit animalia biuros vocari, qui vitis in Campania erodant. Plinius N. H. XXX, 146.

21. Erythraeo oppido superpositum montem Mimanta et Homerum scripsisse et Tullium doctis referentibus audiebat. Ammianus Marcellinus XXXI, 14, 8.

22. Cicero ad praeturam usque etiam Graece declamitavit, Latine vero senior quoque et quidem cum consulibus Hirtio et Pansa, quos discipulos et grandis praetextatos vocabat. Suetonius de rhetoribus c. 1. alioquin in illo atriolo, in quo (Cicero) duos grandis praetextatos ait secum declamitare solitos, potui adesse. Seneca controv. I. praef. p. 50, 11. Cf. Cic. ad famil. IX, 16, 7. Quintil. XII, 11, 6.

23. *οὐκ ἀνάξιον δὲ οἶμαι, ὦ Θωμάσιε, κἀκείνου μνησθῆναι ὃ Κικέρων ἱστορεῖ τοῦ παρὰ Ῥωμαίοις πεζικοῦ πέρι στρατοῦ· φησὶ γὰρ τὰ μὲν ὅπλα οὕτως φέροντας ἀχωρίστως σχεῖν ἀεὶ οἷόν τινα μέλη τοῦ σώματος οἰομένους, καὶ πρός γε τροφὴν σφίσι πέντε ἀποχρῶσαν ἡμέρας· ἀνάγκης τε ἄνευ τινός, καὶ εἰ παρεῖναι συμβαίνοι νωτοφόρα ζῶα, ὃ συνηθείᾳ μακρᾷ βεβαιωθὲν νόμος παρ᾽ αὐτοῖς ἐγίνετο, ὡς καὶ τιμωρίαν ἐπικεῖσθαι εἴ τις*

παραβαίη. Petrus de scientia politica IV, 5. p. 593. ed. Maii. Cf. Cic. Tusc. disp. II, 37.

24. Cicero: quid enim tam praevarum? id est valide varum. Isidorus Origg. Lib. X, 223. p. 342. Otto.

25. Cicero, orationis imperiosae fluminibus saepe depressos aliquos iudiciorum eripiens flammis, non defendi homines sine vituperatione fortasse posse, negligenter defendi sine scelere non posse firmabat. Ammianus Marcellinus XXX, 4, 7. cf. Cic. divinat. in Q. Caecilium §. 60.

26. animus parvo contentus, quae virtus dicitur αὐτάρκεια. quae cum Latine uno verbo dici non potest, αὐτάρκεια inquit Cicero est, quae parvo contenta omne id respuit, quod abundat. Scholiastes Cruquianus ad Horat. Sat. II, 6, 79. p. 484. Cruq.

[27. sacrosancta sunt legationis officia, ut inquit Cicero, ut etiam inter hostium tela incolumis versaretur. Placidus Lactantius ad Statii Theb. 2, p. 62. ed. Lindenbrog. cf. Cic. de oratore I, 202. Verr. lib. I, 85.]

28. nec Cicero, cum se tenebras offudisse iudicibus in causa Cluentii gloriatus est, nihil ipse vidit. Quintilianus II, 17, 21.

29. et de nobis loquimur tamquam de aliis. dicit Servius: negat Tullius. Quintilianus IX, 3, 21. ('Haec verba lacunae partem aliquam in oratione pro Murena videntur explere.' H. Meyer.)

[30. Phalaris Agrigentinus, saevissimus tyrannus, qui sic crudelitates exercebat: missis in aëneum taurum hominibus eos subiecto igne torquebat. de quo Cicero dicit: inclusorum hominum gemitu mugiebat taurus. Scholiastes vetus in Iuven. Sat. VI, 486. Cf. Cic. de re p. III, 42.

31. ἀποφώνημα, sententia responsiva, ut apud Caecilium: 'fac velis, perficies.' apud Tullium: literarum radices amaras, fructus dulces. Iulius Rufinianus §. 19.

32. legimus apud Ciceronem: Olympus in inmensum editus. Pompeii Commentum p. 356. Lindem. p. 254, 31. Keil.

33. syngraphas feminino genere M. Tullio auctore dicimus: pro negotiatoribus Achaeis syngraphas, quas nostra voluntate conscripsimus. Nonius p. 225, 12.

34. (Caesar) poenas facinorum auxit, et cum locupletes eo facilius scelere se obligarent, quod integris patrimoniis exsulabant, parricidas, ut Cicero scribit, bonis omnibus, reliquos dimidia parte multavit. Suetonius div. Iul. 42.

35. Cicero: hunc loquacem esse habitum, numquam disertum. Isidorus in Differentiarum libro n. 179. ed. du Breul p. 751.

36. Cicero: cum sis post vitam sine momento futurus, id est nullius momenti. Scholiasta ad Lucanum IV, 819. p. 324. ed. Web.

37. animisque] quod ait Cicero: currentem, ut dicitur, occupavi. cf. Cic. Philipp. III, 19: 'currentem, ut dicitur, incitavi.'

[38. si voluntate proderet, sequebatur quod ait Cicero: nemo umquam sapiens proditori credendum putavit. Servius ad Virg. Aen. II, 157. Cf. Cic. Verr. lib. I, 38.]

39. Cicero: mare movetur ventis, ne putescat. Servius ad Virg. Georg. I, 130.

40. Cicero domum Scaevolae oraculum dixit civitatis. Schol. ad Iuvenal. Sat. I, 128. in edit. G. Vallae.

41. veternum generis neutri, ut Cicero: liceat fenerare veternum. Grammaticus inc. de generib. nominum n. 319. ed. F. G. Otto.

42. ludi deorum sunt. Cicero: cum a ludis contionem advocavit, Cerealia, Floralia ludosque Apollinares deorum immortalium esse, non nostros. Arusianus Messius p. 245. ed. Lindem.

43. euphonia, id est suavitas bene sonandi, admissa est ad Latinum sermonem, ut aspera temperet, et ab arte et ratione recessum est, ubi asperitas offendebat auditum. sic Cicero ait: impetratum est a ratione, ut peccare suavitatis causa liceret. Augustinus de grammat. p. 2007. P.

44. item in illo exemplo, cum quaeritur quid sint inimicitiae, dicimus inimicum esse eum, qui aliquid molitus sit. hac Cicero collatione utens dicit inimicum, qui facit contra omnium rem, voluntatem, honorem, dignitatem. Boëthius de definitione p. 650. ed. Basil.

45. in monosyllabis inspiciendum est, utrum finalis longa brevisne sit. si enim longa est, praeire debet trochaeus, ut est illud Ciceronis 'non scripta, sed nata lex' (pro Milone §. 10.) aut: debet esse legum in re publica prima vox. Martianus Capella V, §. 520. p. 447. Kopp.

46. Tullius hoc modo eam (artem) definit: ars est perceptionum exercitatarum constructio ad unum exitum utilem vitae pertinentium. Diomedes p. 414. P. p. 421, 5 sqq. K.

47. 'iniqua aequa' παρονομασίαι sunt Terentianae et bonum argumentum; nam et Virgilius 'ipse hostis Teucros insigni laude ferebat' inquit, et Cicero: te ipso teste iniquo atque improbo, verum ad hanc rem satis idoneo, te, inquam, teste dicam. Donatus ad Terent. Hecyr. III, 5, 25.

48. crimen proprie dicitur id, quod falsum est. Cicero: verum tamen fac, tametsi criminosum, id est falsa insimulatio est. Idem ad Terent. Hec. V, 2, 13.

49. hyperbole cum paronomasia 'omnes omnia.' hinc Cicero: omnes in hoc iudicio conferant omnia. Idem ad Terent. Adelph. III, 2, 1.

50. comoediam esse Cicero ait imitationem vitae, speculum consuetudinis, imaginem veritatis. Donati fragm. de comoedia et tragoedia p. LVII. ed. Westerhov. cf. de re p. IV, 13.

51. hypexaeresis est latine exceptio, quando aliquid a generali complexione distinguimus, qualis est illa exceptio Ciceronis: minus me commovit hominis summa auctoritas in hoc uno genere dumtaxat; nam in ceteris egregie commovit. Anecdota Parisina ed. Eckstein p. 5, 21 sqq. cf. supra p. 36. n. 24.

52. synchoresis et concessio rei alicuius, ut apud Virgilium: 'esto: Cassandrae inpulsus furiis.' Cicero: do tibi hoc, concedo tibi et remitto. Anecd. Paris. ed. Eckst. p. 7, 14 sq.

53. hyperthesis est, cum aliquam rem opinione omnium notam sententia nostra exsuperare volumus, ut est illud Ciceronis: scelus est accipere a reo pecuniam, quanto magis ab accusatore. haec et epauxesis dicitur. Anecd. Paris. ed. Eckst. p. 7, 11 sqq.

54. Tullius dicit quod mundus iste regitur opinione; nam Armeniis asperrima et dedecorosa poena est auferre barbam. Scholiastes Lucani ad II, 375.

55. dicunt quod terra solida sit et nullam concavitatem possit admittere, ut Cicero. Idem ad IX, 102.

56. Orcus idem est Pluton, ut in Verrinis (IV, 111.) indicat Cicero. alibi ait: quia Ditem patrem emersisse ab inferis putant. Servius ad Virgil. Aen. VI, 273.

57. ut Cicero dicit, isti scripserunt apud Graecos (de compositione et numeris et pedibus oratoriis): Thrasymachus, Naucrates, Gorgias, Ephorus, Isocrates, Theodectes, Aristoteles, Theodorus Byzantius, Theophrastus, Hieronymus. Rufini versus de compos. et metr. orat. in Schol. Cic. I. p. 191, 7 sqq.

58. haec quidem translatio temporum, quae proprie μετάστασις dicitur, in διατυπώσει verecundior apud priores fuit. praeponebant enim talia 'credite vos intueri', ut Cicero: haec, quae non vidistis oculis, animis cernere potestis. Quintilianus IX, 2, 41.

59. vides ergo falsam intellegentiam et penitus veritatem submersam. unde illud in Pisonem: putavi gravem: video adulterum, video ganeonem. Grillius ad Cic. de invent. §. 8. p. 599, 5. ed. Halm. cf. supra p. 3. n. 11.

60. ea enim, quae inventa fuerint, non debent confuse dici, sed suo quaeque componi ordine, unde ipse: meque meum dicendi ordinem servare patiamini. Idem §. 9. p. 599, 7 sqq.

61. moralis argumentatio de natura hominum vel morum consuetudine ducitur, ut Cicero: hic ego dubitem in eam disputationem ingredi, quae ducatur ex natura hominum atque omnium sensibus? Iulius Severianus praec. art. rhet. §. 18. p. 365, 14 sqq. ed. Halm. cf. supra p. 36. n. 27.

62. dominatio generis feminini, ut plerumque; masculini M. Tullius de re publ. lib. I. (§. 59.) et de officiis lib. I: quorum est levis fructus, incertus dominatus. Nonius p. 203, 19.

63. dialyton est oratio quae sine coniunctionibus solute ac simpliciter effertur nulla coniunctione interposita superiori contraria, ut apud Tullium: pertulit cogitavit. Diomedes p. 443. P. p. 448, 10. K.

64. antapodosis, quotiens media primis et ultimis conveniunt: vestrum iam hoc factum reprehendo, patres conscripti, non meum, ac pulcherrimum quidem factum, verum, ut dixi,

non meum, sed vestrum. Isidorus Hispal. Origin. II, 8. Anecd. Paris. ed. Eckst. p. 15, 31 sqq. cf. supra p. 27. n. 5.

65. 'adversum.' Tullius: adversum leges moresque maiorum. Cledonius p. 1934. P. p. 76, 22. K. Cf. Cic. Verrin. lib. III, 194: 'adversus leges, adversus rem publicam.'

66. praeclare M. Tullius etenim si nemo est inquit quin emori malit quam converti in aliquam figuram bestiae, quamvis hominis mentem habiturus, quanto est miserius in hominis figura animo esse efferato? mihi quidem tanto videtur, quanto praestabilior est animus corpore. Lactantius Instit. div. V, 11. Cf. Cic. de re p. IV, 1.

L. SINGULAE VOCES ET PHRASES E LIBRIS NON NOMINATIS.

1. Litterae ipsae, si ad elementa referamus, neutri generis sunt, sicut Tullius dixit, ut hoc M, hoc L; si ad ipsas litteras, feminini. Cledonius p. 1181. P. p. 26, 32. K. omnes litterae generis sunt neutri et semper indeclinabilia sunt, ut ait Cicero in Siciliensibus * accidunt. Idem p. 1282. P. p. 28, 17 sq. cf. Pompeii Comment. p. 34. Lindem. p. 111, 10 sq. K.

2. arcera plaustrum est rusticum tectum undique quasi arca. hoc vocabulum et aput Varronem et aput M. Tullium invenitur. Nonius p. 55, 2. (ARCAERA habet cod. palimpsestus Vaticanus pro Fonteio §. 3.)

3. vim rebus aliquando verborum ipsa humilitas affert. an, cum dicit in Pisonem Cicero 'cum tibi tota cognatio serraco advehatur', incidisse videtur in sordidum nomen, non eo contemptum hominis, quem destructum volebat, auxisse. et alibi: caput opponis cum eo cornificans. (conificans codd.) Quintilianus VIII, 3, 21.

4. Cicero dixit: fascem unum si nanctus esses, per quod intellegimus masculino genere dici et non esse tantum plurale. Charisius I. p. 20. P. p. 33, 11. K.

5. 'fretu' Cicero, a Gaditano inquit fretu. Charisius I. p. 103. P. p. 129, 8 K.

6. generis neutri 'ipsum'. quare non 'ipsud', ut 'illud' et 'istud'? quoniam veteres nominativum non 'ipse' dicebant, sed 'ipsus, ipsa, ipsum,' ut 'altus, alta, altum', quod et in comoediis est et apud Tullium ipsum decretum. sed recentiores 'ipsus' conmutaverunt et pro eo 'ipse' consuetudini tradiderunt. 'ipsum' vero obtinuit suam extremitatem, ut etiam exemplum Tullianum docuit. Diomedes art. gramm. I. p. 318, P. p. 330, 24. Keil.

7. sunt quaedam verba, quae quamvis obsoleta sint, tamen vitanda non sunt, si nimirum propria sint et illis melius expediatur oratio, ut M. Tullius et 'serracum' (in Pison. fr. 9. vol. V. p. 136.) et picem et 'scalas' (pro Cornelio supra p. 17. n. 49. 50. 51.) dicere non turpe duxit. Fortunatianus art. rhet. III, 4. p. 123, 2. ed. Halm.

8. plure aut minore emptum antiqui dicebant. Cicero plure venit. Charisius I. p. 84. P. p. 109, 10. K.

9. rare Cicero, ut Maximus notat. Idem II. p. 193. P. p. 217, 8. K.

10. 'ructare' non 'ructari' dicendum est. Cicero tamen ructaretur dixit. Paulus Diaconus p. 134. ed. Lindem. Error subesse videtur vel Pauli vel ipsius Festi; nam apud Ciceronem (Philipp. II, 63.) haec leguntur: 'cui ructare turpe esset.'

11. Bucolico 'saepes' dixit Maro, cur Cicero saeps? Ausonius Idyll. XII. Grammaticomast. v. 11.

12. stomachose Cicero, ut Statilius Maximus de singularibus apud eum quoque positis notat. Charisius II. p. 193. P. p. 218, 6. K. ('stomachosius' Cic. ad Att. X, 5, 7.)

13. est et formicarum genus venenatum, non fere in Italia; solipugas Cicero appellat. Plinius N. H. XXIX, 92.

14. tesca loca augurio designata. Cicero aspera ait esse et difficilia. Paulus Diaconus p. 154. Lindem. Ipse Festus haec habet (p. 272.): '*Cicero* vero aspera, difficilia aditu *dixit, cum ait:* '*lo*ca aspera saxa tesca tuor.'

15. M. Tullius et C. Caesar mordeo 'memordi', pungo 'pepugi', spondeo 'spepondi' dixerunt. Gellius N. A. VI [VII], 9, 15. primam syllabam iterant: curro 'cucurri', pungo 'pupugi'. Cicero (pro Roscio Amer. §. 60.): 'intellexi quid eum pupugisset.' Diomedes p. 364. P. p. 368, 1. K.

16. lecturus es hic etiam novum verbum, id est essentiam: sed scias hoc ipsum dixisse Ciceronem. Nam essentiam nec non et indoloriam nominavit addens: licet enim novis rebus nova nomina imponere. Sidonius Apollinaris in epistola carmini XIV. praemissa p. 144. ed. Savar. cf. Madvig ad Cic. de fin. II, 11. non celabo te: cupio, si fieri potest, propitiis auribus tuis 'essentiam' dicere. si minus, dicam et iratis. Ciceronem auctorem huius verbi habeo, puto locupletem. Seneca epist. 58, 6.

17. numquid Irenaeus et Cyprianus -- et Iohannes, de plebeia faece sellulariorum, sicut Tulliane iocaris, in vestram invidiam concitati sunt? Augustinus c. Iulianum Pelag. II, 10, 37.

18. singularie pro 'singulariter', quasi 'unice', Cicero, ut Maximus notat. Charisius p. 195. P. p. 219, 24. K.

19. Cicero foresia et Megalesia et Hortesia sine N littera libenter dicebat. Velius Longus de orthographia p. 2237.

20. sinum est vas vinarium, ut Cicero significat, non, ut quidam, lactarium. Virgilii Interpretes vett. ad Ecl. VII, 33 ed. Maii p. 9.

21. Cicero Canopitarum exercitum dicit; ipsi Canobon vocant. Quintilianus I, 5, 13.

22. et Iolaus ille Violeos, crede Marco Tullio. Terentianus Maurus v. 657. Cf. Huschke de C. Annio Cimbro p. 55.

23. 'nucleus' gen. masc. nam Cicero pluraliter nucleos dixit. Grammaticus inc. de generibus nominum n. 222. ed. Otto.

24. sciat etiam Ciceroni placuisse aiio Maiiamque geminata I scribere. Quintilianus I, 4, 11.

25. insequetur ἐνάργεια, quae a Cicerone illustratio et evidentia nominatur. Idem VI, 2, 32.

26. sophismata cavillationes vocat Cicero. Seneca epist. 111.

cf. Acad. prior. II, 75: 'sophismata — sic enim appellantur fallaces conclusiunculae.'

27. 'liquidi simul ignis', puri i. e. aetherei [quem Cicero ignitum liquorem dicit]. Servius ad Virgil. Bucol. VI, 33.

[28. Cicero: umbraculisque silvestribus. Idem ad Bucol. IX, 42. Cic. de legib. fragm. 7: 'in illis alnorum umbraculis'.]

29. dictum est a Cicerone de philosophis morturiunt, mori desiderant. Augustinus de grammatica p. 2006. P. Vide supra p. 66. n. 93. Cf. *θανατῶσι* in Platonis Phaedone p. 64. B.

30. maioreis Cicero, ut Plinius eodem libro (dubii sermonis VI.) notat. Charisius p. 111. P. p. 137,27. K. Cf. praef. vol. IX. p. VI. n. 6.

31. quaesere. Vide supra p. 99. n. 39.

32. doleo vicem tuam, id est, propter te doleo. Cicero de domo: et rei p. vicem lugeo. Arusianus Messius p. 222. Vide Halmium ad Cic. de re p. p. 852,20. ed. Turic. et cf. Cic. ad Att. VIII,2,2: 'mihi nihil umquam turpius factum esse videtur, quam a nostro amico factum est, cuius ego vicem doleo.'

33. 'efferunt' qui portant per duo F, 'eferunt' autem qui laudando extollunt per unum F. Cicero: nimium fortasse haec illi eferunt. Isidorus in Differentiarum libro n. 191. p. 752. ed. du Breul.

34. ubi geminata u littera nominativus est, nomen est, non participium, ut 'fatuus, ingenuus, arduus, carduus, exiguus, beluus, ut Cicero dixit. Augustinus de grammat. p. 2002. P.

35. 'Irim' pro 'Iridem' Maro, cum constet omnia Graecae figurae nominativo singulari is syllaba terminata genetivo singulari syllaba crescere, licet Varro et Tullius et Cincius 'huius Serapis' et 'huius Isis' dixerint. Charisius p. 107. P. p. 132, 27 sqq. K.

36. 'inberbi' dicuntur, non 'inberbes.' sic enim et Varro -- et Cicero inberbum perduxit, non inberbem. Charisius p. 74. P. p. 95, 19. K.

37. quod Sallustius ait 'ad bellum Persi Macedonicum', non declinationem mutavit, sed antiqua usus est consuetudine, dativum posuit pro genetivo; et Cicero filiumque Verri pro 'Verris', et Vergilius 'inmitis Achilli'. Probus Cathol. p. 1473. P. p. 28,20. K. Cf. Ritschl supplem. quaest. de decl. q. Latina reconditiore (Bonn. a. 1861.) p. IV.

38. choriambus et paeon tertius composuit rationem. Probus Cathol. p. 1493. P. p. 43, 6. K.

39. plerique nominibus civitatum iunxerunt praepositiones, ut Cicero ad Messanam venit. [Sergii] explanat. in Donatum I. p. 511, 29. Keil. At in Verrin. lib. IV, 5. legitur: 'Messanam ut quisque nostrum venerat'.

SCRIPTA SUPPOSITICIA.

[C. SALUSTII CRISPI]
IN M. TULLIUM CICERONEM DECLAMATIO.

Graviter et iniquo animo maledicta tua paterer, M. 1
Tulli, si te scirem iudicio magis quam morbo animi petu- 1
lantia ista uti. sed cum in te neque modum neque mode-
stiam ullam animadverto, respondebo tibi, ut, si quam male
dicendo voluptatem cepisti, eam male audiendo amittas. ubi
querar, quos implorem, patres conscripti, diripi rem publi-
cam atque audacissimo cuique esse perfidiae? apud populum
Romanum, qui ita largitionibus corruptus est, uti sese ac
fortunas suas venales habeat? an apud vos, patres con-
scripti? quorum auctoritas turpissimo cuique ludibrio est,
ubi M. Tullius leges, iudicia, rem publicam defendit, atque
in hoc ordine ita moderatur, quasi unus reliquus ex familia
viri clarissimi, Scipionis Africani, ac non reperticius, acci-
tus ac paulo ante insitus huic urbi civis. an vero, M. Tulli, 2
facta tua ac dicta obscura sunt? an non ita a pueritia
vixisti, ut nihil flagitiosum corpori tuo putares quod alicui
collibuisset? aut scilicet istam immoderatam eloquentiam
apud M. Pisonem non pudicitiae iactura perdidicisti? itaque
minime mirandum est, quod eam flagitiose venditas, quam
turpissime parasti. verum, ut opinor, splendor domesticus 2
tibi animos tollit: uxor sacrilega ac periuriis delibuta, filia
matris pelex, tibi iucundior atque obsequentior quam parenti
par est. domum ipsam tuam vi et rapinis funestam tibi
ac tuis comparasti: videlicet, ut nos commonefacias quam
conversa res sit, cum in ea domo habitares, homo flagitio-
sissime, quae P. Crassi, viri clarissimi, fuit. atque cum 3
haec ita sint, tamen Cicero se dicit in concilio deorum im-
mortalium fuisse, inde missum huic urbi civibusque custo-

dem absque carnificis nomine, qui civitatis incommodum in gloriam suam ponit: quasi vero non illius coniurationis causa fuerit consulatus tuus et idcirco res publica disiecta eo tempore, quod te custodem habebat. sed, ut opinor, illa te magis extollunt, quae post consulatum cum Terentia uxore de re publica consuluisti, cum legis Plautiae iudicia domi faciebatis, ex coniuratis alios exsilio, alios pecunia condemnabas, cum tibi alius Tusculanum, alius Pompeianam villam exaedificabat, alius domum emebat; qui vero nihil poterat, is erat calumniae proximus, is aut domum tuam oppugnatum venerat aut insidias senatui fecerat, denique
4 *de eo tibi compertum erat. quae si tibi falsa obiicio, redde rationem quantum patrimonii acceperis, quid tibi litibus accreverit, qua ex pecunia domum paraveris, Tusculanum et Pompeianum infinito sumptu aedificaveris, aut, si retices, cui dubium potest esse, quin opulentiam istam ex sanguine*
3 *et miseriis civium paraveris? verum, ut opinor, homo novus Arpinas, ex M. Crassi familia, illius virtutem imitatur, contemnit simultatem hominum nobilium, rem publicam ca-*
5 *ram habet, neque terrore neque gratia commovetur: illud verae amicitiae [tantum], hoc virtutis est animi. immo vero homo levissimus, supplex inimicis, amicis contumeliosus, modo harum, modo illarum partium, fidus nemini, levissimus senator, mercennarius patronus, cuius nulla pars corporis a turpitudine vacat, lingua vana, manus rapacissimae, gula immensa, pedes fugaces: quae honeste nominari non possunt inhonestissima. atque is cum eius modi sit, tamen audet dicere:*

o fortunatam natam me consule Romam!

'te consule fortunatam', Cicero? immo vero infelicem et miseram, quae crudelissimam proscriptionem eam perpessa est, cum tu perturbata re publica metu perculsos omnes bonos parere crudelitati tuae cogebas, cum omnia iudicia, omnes leges in tua libidine erant, cum tu sublata lege Porcia, erepta libertate, omnium nostrum vitae necisque po-
6 *testatem ad te unum revocaveras. atque parum quod impune fecisti, verum etiam commemorando exprobras neque licet oblivisci his servitutis suae. egeris, oro te, Cicero, perfeceris quid libet; satis est perpessos esse; etiamne aures*

nostras odio tuo onerabis? etiamne molestissimis verbis insectabere?

cedant arma togae, concedat laurea linguae.

quasi vero togatus et non armatus ea, quae gloriaris, confeceris, atque inter te Sullamque dictatorem praeter nomen imperii quicquam interfuerit. sed quid ego plura de tua 4 7
insolentia commemorem? quem Minerva omnes artes edocuit, Iuppiter optimus maximus concilio deorum admisit, Italia exsulem humeris suis reportavit. oro te, Romule Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paulos, Fabios, Scipiones superasti, quem tandem locum in hac civitate obtines? quae tibi partes rei publicae placent? quem amicum, quem inimicum habes? cui insidias in civitate fecisti, ancillaris, — quo iure, cum de exsilio tuo Dyrrachio redisti, eum sequens? — quos tyrannos appellabas, eorum nunc potentiae faves; qui tibi ante optimates videbantur, eosdem nunc dementes ac furiosos vocas. Vatinii causam agis, de Sestio male existimas; Bibulum petulantissimis verbis laedis, laudas Caesarem, quem maxime odisti, ei maxime obsequeris; aliud stans, aliud sedens sentis de re publica; his male dicis, illos odisti, levissime transfuga, neque in hac neque in illa parte fidem habens.

[M. TULLII CICERONIS] IN C. SALUSTIUM CRISPUM CONTROVERSIA.

Ea demum magna voluptas est, C. Salusti, aequalem 1 1
ac parem verbis vitam agere, neque quicquam tam obscenum dicere cui non ab initio pueritiae omni genere facinoris aetas tua respondeat, ut omnis oratio moribus consonet: neque enim qui ita vivit, ut tu, aliter ac tu loqui potest, neque qui tam illoto sermone utitur vita honestiore est. quo me praevertam, patres conscripti, unde initium sumam? maius enim mihi dicendi onus imponitur, quo notior est uterque nostrum, quod aut, si de mea vita at-

que actibus huic conviciatori respondero, invidia gloriam
consequetur, aut, si huius facta, mores, omnem aetatem
nudavero, in idem vitium incidam procacitatis, quod huic
2 obiicio. id vos si forte offendimini, iustius huic quam
mihi suscensere debetis, qui initium introduxit: ego dabo
operam ut et pro me minimo cum fastidio respondeam
et in hunc minime mentitum esse videatur. scio me, pa-
tres conscripti, in respondendo non habere magnam ex-
spectationem, quod nullum vos sciatis novum crimen in
Salustium audituros, sed omnia vetera recognituros, quis
et meae et vestrae iam et ipsius aures calent. verum eo
magis odisse debetis hominem, qui ne incipiens quidem
peccare minimis rebus posuit rudimentum, sed ita in-
gressus est, ut neque ab alio vinci possit neque ipse se
3 omnino reliqua aetate praeterire. itaque nihil aliud stu-
det nisi uti lutulentus sus cum quovis volutari. longe
vero fallitur opinione: non enim procacitate linguae vitae
sordes eluuntur, sed est quaedam calumnia, quam unus
quisque nostrum testante animo suo fert de eo, qui fal-
sum crimen bonis obiectat. quod si vita istius memoriam
vicerit, illam, patres conscripti, non ex oratione, sed ex
moribus suis spectare debebitis. iam dabo operam quam
maxime potero breve ut faciam; neque haec altercatio
nostra vobis inutilis erit, patres conscripti; plerumque
enim res publica privatis crescit inimicitiis, ubi nemo
civis qualis sit vir potest latere.

2 4 Primum igitur, quoniam omnium maiores C. Salu-
stius ad unum exemplum et regulam quaerit, velim mihi
respondeat num quid hi, quos protulit Scipiones et Me-
tellos vel Fabios, ante † fuerint aut opinionis aut gloriae,
quam eos res gestae suae et vita innocentissime acta
commendavit. quod si hoc fuit illis initium nominis et
dignitatis, cur non aeque nobis existimetur, cuius et res
gestae illustres et vita integerrime acta? quasi vero tu
sis ab illis, Salusti, ortus: quod si esses, non nullos iam
5 tuae turpitudinis pigeret. ego meis maioribus virtute
mea praeluxi, ut, si prius noti non fuerunt, a me acci-
piant initium memoriae suae: tu tuis vitae, quam tur-
piter egisti, magnas offudisti tenebras, ut, etiam si fuerint
egregii cives, certe venerint in oblivionem. qua re noli

mihi antiquos viros obiectare. satius est enim me meis
rebus gestis florere quam maiorum opinione niti et ita
vivere, ut sim posteris meis nobilitatis initium et virtutis
exemplum. neque me cum iis conferri decet, patres
conscripti, qui iam decesserunt omnique odio carent et
invidia, sed cum eis, qui mecum una in re publica ver-
sati sunt. sed si fuerim aut in honoribus petendis nimis 6
ambitiosus — non hanc dico popularem ambitionem, cu-
ius me principem confiteor, sed illam perniciosam contra
leges, cuius primos ordines Salustius duxit —, aut in
gerundis magistratibus aut in vindicandis maleficiis tam
severus aut in re publica tam vigilans, quam tu pro-
scriptionem vocas, credo quod non omnes tui similes
incolumes in hac urbe vixissent: at quanto meliore loco
res publica staret, si tu par ac similis scelestorum ci-
vium una cum illis adnumeratus esses? an ego tunc falso 7
scripsi,

cedant arma togae,

qui togatus et pace bellum oppressi? an illud mentitus
sum,

.... fortunatam natam me consule Romam,

qui tantum intestinum bellum ac domesticum urbis in-
cendium exstinxi? neque te tui piget, homo levissime, 3
cum ea culpas, quae in historiis mihi gloriae ducis? an
turpius est scribentem mentiri quam illum palam in hoc
ordine dicentem? nam quod in aetatem increpuisti, tan-
tum me abesse puto ab impudicitia, quantum te a pudi-
citia. sed quid ego de te plura querar? quid enim men- 8
tiri turpe ducis, qui mihi ausus sis eloquentiam ut vitium
obiicere, cuius semper nocens eguisti patrocinio? an
ullum existimas posse fieri civem egregium, qui non his
artibus et disciplinis sit eruditus? an ulla alia putas esse
rudimenta et incunabula virtutis, quibus animi ad gloriae
cupiditatem aluntur? sed minime mirum est, patres con-
scripti, si homo, qui desidiae ac luxuriae plenus est,
haec ut nova atque inusitata miratur. nam quod ista 9
inusitata rabie petulanter in uxorem et in filiam meam
invasisti, quae facilius mulieres se a viris abstinuerunt
quam tu vir a viris, satis docte ac perite fecisti. non

enim me sperasti mutuam tibi gratiam relaturum, ut
vicissim tuas compellarem; unus enim es satis materiae
habens; neque quicquam domi tuae turpius est quam tu.
multum te, opinor, fallit, qui mihi parare putasti invi-
diam ex mea re familiari, quae mihi multo minor est
quam habere dignus sum. atque utinam ne tanta quidem
esset quanta est, ut potius amici mei viverent quam ego
10 testamentis eorum locupletior essem! ego fugax, C. Sa-
lusti? furori tribuni pl. cessi: utilius duxi quamvis fortu-
nam unus experiri quam universo populo Romano civilis
esse dissensionis causa; qui, postea quam ille suum an-
num in re publica perbacchatus est omniaque, quae com-
moverat, pace et otio resederunt, hoc ordine revocante
atque ipsa re publica manu retrahente me reverti. qui
mihi dies, si cum omni reliqua vita conferatur, animo
quidem meo superat, cum universi vos populusque Ro-
manus frequens adventu meo gratulatus est: tanti me,
fugacem, mercennarium patronum, hi aestimaverunt. ne-
4 11 que hercule mirum est, si ego semper iustas omnium
amicitias existimavi: non enim uni privatim ancillatus
sum neque me addixi, sed, quantum quisque rei publi-
cae studuit, mihi tantum fuit aut amicus aut inimicus.
ego nihil plus volui valere quam pacem: multi privato-
rum audacias metuerunt; ego nihil timui nisi leges: multi
arma sua timeri voluerunt. ego numquam volui quic-
quam posse nisi pro vobis: multi ex vobis potentia freti
in vos suis viribus abusi sunt. itaque non est mirum, si
nullius amicitia usus sum, qui non perpetuo rei publicae
12 amicus fuit. neque enim me paenitet, si aut petenti Va-
tinio reo patrocinium pollicitus sum aut Sestii insolen-
tiam repressi aut Bibuli patientiam culpavi aut virtutibus
Caesaris favi. hae enim laudes egregii civis et unicae
sunt; quae si tu mihi ut vitia obiicis, temeritas tua re-
prehendetur, non mea vitia culpabuntur. plura dicerem,
si apud alios mihi esset dicendum, patres conscripti, non
apud vos, quos habui omnium actionum mearum moni-
tores. sed ubi rerum testimonia adsunt, quid opus est
verbis?

5 13 Nunc, ut ad te revertar, Salusti, patremque tuum
praeteream, qui si numquam in vita sua peccavit, tamen

maiorem iniuriam rei publicae facere non potuit quam
quod te talem filium genuit, neque tu si qua in pueritia
peccasti, exsequar, ne parentem tuum videar accusare,
qui eo tempore summam tui potestatem habuit, sed qua-
lem adolescentiam egeris: hac demonstrata facile intelli-
getur quam petulanti pueritia tam impudicus et procax
adoleveris. postea quam immensae gulae impudicissimi
corporis quaestus sufficere non potuit et aetas tua iam
ad ea patienda, quae alteri facere collibuisset, exoleverat,
cupiditatibus infinitis efferebaris, ut quae ipse corpori
tuo turpia non duxisses in aliis experireris. ita non est 14
facile exputare, patres conscripti, utrum inhonestioribus
corporis partibus rem quaesierit an amiserit. domum
paternam vivo patre venalem habuit, vendidit: et cui-
quam dubium potest esse quin mori coëgerit eum, quo
hic nondum mortuo pro herede gesserit omnia? neque
pudet eum a me quaerere, quis in P. Crassi domo ha-
bitet, cum ipse respondere non queat quis in ipsius ha-
bitet paterna domo? at hercule lapsus aetatis tirocinio
postea se correxit. non ita est, sed abiit in sodalicium
sacrilegii Nigidiani; bis ad iudicis subsellia attractus, ex-
trema fortuna stetit et ita discessit, ut non hic innocens
esse, sed iudices peierasse existimarentur. primum hono- 15
rem in quaestura adeptus hunc locum et hunc ordinem
† despectus, cuius aditus sibi quoque sordidissimo homini
patuisset; itaque timens ne facinora sua clam vos essent,
cum omnibus matrum familiarum viris opprobrio esset,
confessus est vobis audientibus adulterium neque erubuit
ora vestra. vixeris, ut libet, Salusti, egeris quae volu- 6
eris: satis sit unum te tuorum scelerum esse conscium:
noli nobis languorem et soporem nimium exprobrare:
sumus diligentes in tuenda pudicitia uxorum nostrarum,
sed ita experrecti non sumus, ut a te cavere possimus:
audacia tua vincit studia nostra. ecquod hunc movere 16
possit, patres conscripti, factum auditu turpe, quem
non puduerit palam vobis audientibus adulterium con-
fiteri? quod si tibi per me nihil respondere voluissem,
sed illud censorium elogium Appii Claudii et L. Pisonis,
integerrimorum virorum, quo usus est quisque eorum,
pro lege palam universis recitarem, nonne tibi viderer

aeternas inurere maculas, quas reliqua vita tua eluere
non posset? neque post illum dilectum senatus vidimus
te, nisi forte in ea te castra coniecisti, quo omnis sentina
17 rei publicae confluxerat. at idem Salustius, qui in pace
ne senator quidem manserat, postea quam res publica
armis oppressa est et idem † victores qui exsules reduxit.
in senatum post quaesturam est reductus; quem honorem
ita gessit, ut nihil in eo non venale habuerit, cuius ali-
quis emptor fuerit. ita egit, ut nihil non aequum ac
verum duxerit, quod ipsi facere collibuisset, neque aliter
vexavit ac debuit, si quis praedae loco magistratum ac-
18 cepisset. peracta quaestura postea quam magna pignora
eis dederat, cum quibus similitudine vitae se coniunxerat,
unus iam ex illo grege videbatur; eius enim partis erat
Salustius, quo tamquam in unam voraginem coetus
omnium vitiorum excesserat: quicquid impudicorum, cilo-
num, parricidarum, sacrilegorum, debitorum fuit in urbe,
municipiis, coloniis, Italia tota, sicut in fretis subsederant
nominis perditi ac notissimi, nulla in parte castris apti
7 nisi licentia vitiorum et cupiditate rerum novarum. at
19 postea quam praetor est factus, modeste se gessit et abs-
tinenter. nonne ita provinciam vastavit, ut nihil neque
passi sint neque exspectarint gravius in bello socii nostri
quam experti sunt in pace hoc Africam interiorem ob-
tinente? unde tantum hic exhausit, quantum potuit aut
fide nominum traiici aut in naves contrudi; tantum, in-
quam, patres conscripti, exhausit, quantum voluit; ne
causam diceret, sestertio duodeciens cum Caesare paci-
scitur. quod si quidpiam eorum falsum est, his palam
refelle, unde, qui modo ne paternam quidem domum re-
dimere potueris, repente tamquam somnio beatus hortos
preciosissimos, villam Tiburti C. Caesaris, reliquas pos-
20 sessiones paraveris. neque piguit quaerere cur ego P.
Crassi domum emissem, cum tu eius villae dominus sis,
cuius paulo ante fuit Caesar. modo, inquam, patri-
monio non comeso, sed devorato quibus rationibus re-
pente factus es tam adfluens et tam beatus? nam quis
te faceret heredem, quem ne amicum quidem suum satis
honestum quisquam sibi ducit nisi similis ac par tui?
8 at hercule egregia facta maiorum tuorum te extollunt:

quorum sive tu similis es sive illi tui, nihil ad omnium scelus ac nequitiam addi potest. verum, ut opinor, ho- 21
nores tui te faciunt insolentem. tu, C. Salusti, tantidem putas esse bis senatorem et bis quaestorem fieri quanti bis consularem et bis triumphalem? carere decet omni vitio qui in alterum dicere paratus est. is demum male dicit, qui non potest verum ab altero audire. sed tu omnium mensarum adsecla, omnium cubiculorum in aetate pelex et idem postea adulter, omnis ordinis turpitudo es et civilis belli memoria. quid enim hoc gravius pati potuimus quam quod te incolumem in hoc ordine
videmus? desine petulantissime consectari bonos, desine 22
morbo procacitatis isto uti, desine unum quemque moribus tuis aestimare. his moribus amicum tibi facere non potes: videris velle inimicum habere. finem dicendi faciam, patres conscripti. saepe enim vidi gravius offendere animos auditorum eos, qui aliena flagitia aperte dixerunt, quam eos, qui commiserunt: mihi quidem ratio habenda est non quae Salustius merito debeat audire, sed ut ea dicam, si qua ego honeste effari possim.

M. TULLII CICERONIS
ORATIO PRIDIE QUAM IN EXSILIUM IRET.

1 1 Si quando inimicorum impetum propulsare ac pro-
pellere cupistis, defendite nunc universi unum, qui, ne
omnes ardore flammae occideretis, mei capitis peri-
culo non dubitavi providere; nam, quem virtutis gloria
cum summa laude ad caelum extulit, eundem inimi-
corum invidia indignissime oppressum deprimit ad sup-
plicium. si liberum conceptam dulcedinem animo in-
clusam continetis, nolite eo velle carere, qui carissi-
2 mam vestram procreationem sibi esse duxit. est enim
liberale officium serere beneficium, ut metere possis fru-
ctum: fidei conducit in loco debitum retribuere; illic
enim animi voluntas propensa comprobatur, hic memoria
collaudatur. itaque, si omnibus grave iugum servitutis
esse debet in libertate educatis, sit is vestris animis ac-
ceptissimus qui a vestro corpore iugum acerbissimum
3 reppulit servitutis; et, si maiores vestri eos imperatores,
qui militum virtute hostium fregerunt furorem, iucundis-
simo fructu libertatis reconciliato non solum statuis
dignos putarunt, sed etiam aeterna triumphi laude deco-
rarunt, tum vos eum consulem, qui non militum praesenti
fortitudine, sed sua eximia animi virtute hostilem civium
mentem senatus auctoritate vindicavit, existimate vobis
2 4 retinendum esse in civitate. si, quae beneficia singulis
civibus privatimque dantur, ea solent iis esse fructuosa,
a quibus sunt profecta, iure et merito possum ego vos
ad defensionem meae salutis adhortari, quos conservavi
universos; nam neque maius est defendere unum quam
populum neque verius ab singulis quam ab omnibus
repetere officii fructum et praemium, propterea quod in
unius periculo saepe contentio parva est, ut levis sit la-
bor defensori sustinendus, in rei publicae insidiis, quo
firmius est quod oppugnatur, eo paratiores sunt inimici,

ut iis nisi magna sollicitudine, industria, virtute non
queat resisti. et singulorum opes saepe sunt tenues et 5
infirmae ad gratiam referendam, ut opitulari bene me-
rentibus nequeant, si maxime cupiant: universorum au-
xilium plurimum prodest, quo firmioribus opibus est
nixum. iure igitur, quoniam et maior impensa in pa-
triam officii facta est quam in privata fit defensione et
plus a vobis praesidii quam a ceteris opis ad salutem
potest adferri, vos obtestor, quos mihi et debere et posse
intelligo opitulari. non convenit enim, cum ego ad pro- 6
merendum officium tam fuerim expeditus, vos ad gra-
tiam referendam esse tardiores, ne, cuius amplitudinem
et gloriam laude atque honoribus amplificare debeatis,
eius incolumitatem et salutem deserendam existimetis. 3
etenim errat, si qui arbitratur M. Tullium idcirco in
periculum capitis vocari, quod deliquerit aliquid, quod
patriam laeserit, quod improbe vixerit: non citatur reus
audaciae: virtutis reus citatur; non accusatur, quod rem
publicam vi oppugnarit, sed quod homo novus pernicio-
sum nobilium restinxerit furorem. non obest mihi nocens
et turpis, sed honestissime laudatissimeque acta vita. non
odio bonorum, sed invidia premor malorum. intelligunt 7
homines tot et tam praeclaris testimoniis monimentisque
virtutis comparatis M. Tullio, dum sit incolumis, fore
voluptati: idcirco vitam eripere cupiunt, uti cum spiritu
sensum quoque adimant iucunditatis. nonne igitur indi-
gnum est eos praemiis meis invidere, qui virtute certare
noluerunt, eos in contentionem venire honoris, qui offi-
ciis se superari animo aequissimo tulerunt? si dulcis est
gloria, consequere virtutem: noli abiicere labores, per-
dere honorem: honorem dico? immo vero famam, fortu-
nas, familiam, liberos, caput, corpus, ipsum denique
sanguinem et animam. cedo invitus de re publica, cedo
oppressus de fortuna, de dignitate; discedo ab re publica
victus audacia malorum. liceat manere, si non illum 8
M. Tullium, custodem urbis, defensorem omnium, pa-
trem patriae, at certe reliquias Tullii; liceat in conspectu
civium, in hac urbe, quam ex parricidarum faucibus eri-
puit, remanere, tecta omnium, fana deorum, universam
videre periculi ⟨expertem⟩ civitatem; liceat ex hac flamma

evolare, praesertim qui illud impium incendium perdito-
rum hominum lacrimis potius meis quam vestro sanguine
restingui malui. neque enim ego peto ut mihi detis vitam,
sed datam repeto, ut reddatis; si meministis quod dedi,
non debetis [istis] oblivisci, retribuere quod debuistis.

4 9 Vos, vos obtestor', di immortales, qui meae menti
lumina praetulistis, cum consensum exstinxi coniurationis
arcemque urbis ab incendio ac flamma liberavi liberos-
que vestros a gremio et complexu matrum ad caedem et
cruorem non sum passus abstrahi. num igitur potest
fieri a clientibus ut recipiar, cum a quibus debeam re-
tineri reiicere instituant? socii quo fugient, cum aditus
custodi patriae praeclusus sit? quo modo spes salutis
reliquis residebit, cum civibus praeclusa sit exspectatio
incolumitatis? pax et concordia extraneis gignetur, cum
iam domesticis non insideat, sed publice providenti eri-
10 piatur? nam quid ego improborum facta renovem ora-
tione, ut redintegratio illius coniurationis animos vulne-
ret vestros? auxilium ab alienis efflagitabitis, cum cives
vestros deseratis? sociorum invocem subsidium, cum a
civibus interclusum sit praesidium? quam colere gentem
non institui? utrum custos accipiar an ut proditor exclu-
dar? si ut conservator, vestra erit ignominia; si ut op-
pugnator, praecisa erunt omnia. itaque quod putavi fore
11 gaudium, id exstitit exitio. si, Quirites, eundem in cete-
rorum periculis haberemus animum quem in nostris dif-
ficultatibus, et pro innocentissimo quoque propugnare et
nocentissimum quemque oppugnare nobis utilissimum
esse arbitraremur, et si cum optimi cuiusque rebus ad-
versis nostram salutem, cum deterrimorum autem secun-
dis nostra pericula putemus coniuncta, frequentes pro-
fecto talibus conatis ob viam ire nitamur, neque partim
innocentia freti, partim nobilitate nixi, partim potentia
ac multitudine amicorum fulti, cum perfacile existime-
mus adversariorum vim ac factionem a nobis repelli
posse, subito ipsi simili periculo circumventi, in nostro
eventu aliorum reminiscentes casus, iure id nobis acci-
5 12 dere nequidquam queremur. quis est enim, Quirites, qui,
cum inimicorum nostrorum vim ac violentiam perspiciat,
cumque nostrum periculosissimum casum recognoscat,

qui non sibi ac suis diffidat fortunis? quo enim se satis
tutum arbitrabitur praesidio? virtutis gloria? at ea nos
ipsa hoc tempore oppugnat. multitudine amicorum? at
parum est fortes se esse amicos, si in eorum potestate
nostra sita salus non est. paucitate inimicorum? at id
non in ipsius, sed in aliorum voluntate positum est.
nam non satis est ne cui iniuriam facias providere, si
tamen sunt voluntarii inimici, qui tuis praemiis te op-
pugnent. atque adeo cum haec omnia omnibus sunt 13
gravia atque acerba, tum vero nobis misera atque in-
toleranda, quorum et officia in rem publicam recentis-
sima et incommoda ob rem publicam frequentissima in
familia versantur. nunc si eadem condicio disceptationis
proponetur, aequi auditores adhibebuntur, aures non ob-
tunsae criminatione, sed vacuae praebebuntur, qui sunt
adsecuti summum gradum honoris, non despoliabuntur
honore, qui sperant, facilius et proclivius ad laudem no-
bilitatis pervenient. quam ob rem nolo me duce sup-
plicii vos ad fraudem deduci, ut ego ad pristinum statum
recidam casus. nunc igitur, si lingua est concertandum,
innocentiae virtute fretus supero; si facta compensanda
sunt, conferamus aequitatem; si violentiae impetu oppri-
mimur, decedam pro omnibus unus tribunicio furori,
quoniam laborem pro cunctis perferre consuevi. si igitur 6
aliquo tempore iis hominibus consuluistis, quorum ani- 14
mus religionis pietate defunctus est, debetis mihi quoque
prospicere, qui numini deorum consecratum sartum ac
tectum ab omni periculo conservavi et, vos ut tutam ac
tranquillam fortunam traheretis, mea perfeci vigilantia.
nam me, quem paulo ante fortuna erexerat ad gloriam,
⟨cui⟩ virtus contulit laudem, populus tribuit honorem,
eundem tribuni furor exagitatus depulit ad calamitatem.
quoniam animadvertistis illam conspirationem conflatam
ita esse restinctam, ut nulla scintilla compareat incendii,
vos quoque tribuniciam sedate temeritatem — qui nunc
se mihi inimicum ostendit, se prius esse vestrum profes-
sus est inimicum —, ne rei crudelitas experta in me in
vos convalescat et calamitas remorata longius serpat at-
que progrediatur, praecavete. nunc vel solus delectus 15
ad calamitatem vel primus ad tale evocatus periculum

omnium animos iure debeo commovere. omnia sunt
immutata: manus religantur ad demonstrandam iniuriam,
lingua inciditur ad deplorandam calamitatem, animus
praecluditur ad exponendam rei indignitatem. humilita-
tem generis obiiciunt nobis, qui novam rationem susci-
tant, maiorum obterunt laudes. sed quid ego plura de
illorum aut in me maledictis aut in vos scelerate loquar
factis? quorum cognita improbitas me tacente coarguitur
turpitudine vitae, ut de iis non sit necesse inimicos prae-
dicare, de quorum scelere ne amici quidem aut ipsi pos-
16 sunt negare. vos ego appello, quorum de me maxima
est potestas; apud vos loquor de mea calamitate, quos
7 habui semper innocentiae et virtutis meae testes. igitur
ex civitate bene meritus de re publica civis exturbatur,
innocens expellitur, consularis homo, non minimis facul-
tatibus usus quondam, amicorum multorum praesidio
munitus, nunc partim ab invidis, partim ab inimicis cir-
cumventus ⟨eget⟩ indigne? huic si opem non tuleritis in
periculo capitis, vos, credo, retinebitis vestram libertatem,
qui neque tanta valetis auctoritate neque tantorum offi-
ciorum impensam egistis in patriam? mihi credite, hoc
in uno incommodum confirmatum multorum infirmabit
incolumitatem et, si initio non erit refutatum, impune
ad omnium perniciem convalescet. proinde aut in meo
periculo salutem integram praestate communem aut in
17 vestris hoc idem exspectate incommodum fortunis. nemo
tam perdita auctoritate, tam facinerosa inventus est vita,
qui, cum de scelere fateretur, non tamen sententiis prius
iudicum convinceretur quam supplicio addiceretur: ego
repente vi tribunicia correptus non modo loquendi libere
in iudicio, sed ne consistendi quidem in civitate habeo
potestatem; eiicior non solum sine teste, sine indice, sed
18 sine crimine, sine accusatore, sine etiam scelere. hostibus
in bello, qui dissident voluntate, dimicant armis, vitam
cotidie oppugnant, in ipsa acie cum proeliantur, licet
loqui, licet disputare: mihi in pace, civi, qui perditorum
hominum fregi furorem, pro fortunis meis apud vos
loqui non licebit? servi, qui ad supplicium verberibus
caesi trahuntur, apud eos saepe disputant, quos necare
voluerunt: ego consularis apud eos non loquar, quos

conservavi? tacebo, si necesse est; tacebo, inquam, animo
aequo, quoniam virtus mea me tacente agit meam cau-
sam. itaque ut ego in contione mea nihil ponam de 8
meis rebus gestis, tamen in animis et memoria vestra 19
largiter relinquam; isti modo videant, qua ratione hanc
meam mutam fugam ferre possint. etenim si a me, ut
isti existimant, Lentuli mortui sordes, si Catilinae notis-
simus furor, si amentia Cethegi, si luxuries ac stupra
Cassii poenas repetunt, profecto istis hora nulla eiecto
M. Tullio vacua a periculo aut exspectatione periculi
relinquetur. ita in dies non meis insidiis, quae nullae a
me parantur, sed suorum conscientia scelerum cruciati
mihi absenti et populo Romano dabunt poenas. quas 20
ob res ego inimicorum amentiae cupiditatique paucorum
omnium salutis causa decedam, neque in eum ⟨locum
rem⟩ deducam aut progredi patiar, ut opera mea manus
inter vos conseratis caedesque civium inter se fiat, mul-
toque potius ipse patria liberisque meis carebo, quam
propter unum me vos de fortunis vestris reique publicae
dimicetis. sic enim ab initio fui animatus, ut non magis
mea causa putarem me esse natum quam rei publicae
procreatum. sed illud queror — quod non iam ad unius 21
perniciem, sed ad universorum struitur calamitatem —,
conqueri, commiserari, dicere, expurgare, suspicionem
demovere, crimen diluere non licere; ore oppresso cervi-
ces esse praebendas; quae tamen omnia non tam sunt
calamitosa, quod mihi sunt subeunda, quam perniciosa,
quod in rem publicam sunt introducta. quam ob rem 9
statutum est atque decretum in his temporibus civitatis
omnia perpeti, quae volet furor libidinosus. vim volunt
adferre: praesto sum. eiicere volunt: exeo. indicta causa
volunt audire: causam non dico. aliud quippiam conan-
tur: agant: nihil duri, nihil acerbi mihi erit quod rem
publicam tutabitur; non enim victus illis cedo, sed inco-
lumibus vobis me condono. neque enim mors miseranda 22
est, quae ob rem publicam capitur, neque exsilium turpe
est, quod virtute suscipitur, cum praesertim non nullam
hae poenae habeant in se consolationem: nam vitam si
eripiunt, non adiment gloriam immortalem: si exsilio
multabunt corpus, non animum a re publica removebunt.

nam, ubicumque ero, hoc cogitabo, haec semper cura mea erit, meque vobis ereptum, non a vobis repudia-
23 tum existimabo. illud ab universis peto postuloque, si, dum in civitate manere licitum est, nemini iniuste periculum creavi, nemini innocenti fui calamitati, si omnibus auxilio praesidioque esse consuevi plurimosque in hac civitate sum tutatus, uti vos liberos meos in vestram fidem recipiatis eosque defendatis neve inimicos meos longius in familiam nostram progredi patiamini, utique, sive hinc abiero sive hic ero oppressus, ea maneat opinio et existimatio, quae virtute parta, non quae infelicitate illata est.

10
24 Nunc ego te, Iuppiter optime maxime, cuius nutu ac dicione sola terrarum gubernantur, teque, particeps conubii, socia regni, regina Iuno, teque, Tritonia, armipotens Gorgophona Pallas Minerva, ceterique di deaeque immortales, qui ⟨in⟩ excellenti tumulo civitatis sedem Capitolii in saxo incolitis constitutam, ut non solum cunctam intueri, sed etiam tueri possitis civitatem, a quorum ego quondam altaribus impiam civium manum removi, a quorum templis meo periculo funestam facem reppuli, ne illustrissimum orbis terrarum monumentum cum principe omnium terrarum occideret civitate, teque, Iuppiter Stator, quem vere huius imperii statorem maiores nostri nominaverunt, cuius in templo hostilem impetum Catilinae reppuli a muris, cuius templum a Romulo victis Sabinis in Palatii radice cum Victoria est collocatum, oro atque obsecro, ferte opem pariter rei publicae cunctaeque civitati meisque fortunis, resistite tribunicio furori, favete innocentiae, subvenite solitudini, miseremini senectutis; nolite eum supplicem a vobis absterrere et excludere, qui in suo magistratu funestam facem a vestris
25 reppulit templis. si C. Mario auxilio fuistis, quod in clivo Capitolino improborum civium fecerat caedem, si P. Scipioni, quod Hannibalis furibundam mentem a vestris reppulit templis, si denique Cn. Pompeio, quod terra marique hostes reddidit pacatos, sic nunc in meis calamitatibus aliquam ferte opem divinam: ut saepe multorum in periculis fecistis, sic nunc in meis miseriis divinum
11
26 aliquod auxilium et numen ostendite. deinde vos, quo-

rum potestas proxime ad deorum immortalium numen accedit, oro atque obsecro, quibus singillatim saepe supplex ad pedes iacui, ut eum, quem singuli stratum atque abiectum sublevastis, nunc universi conservatum velitis; si neminem umquam vestrum laesi, si nemini innocenti obfui, sed etiam e contrario, ut quisque meum auxilium desideravit, opem ferre non dubitavi, si denique, quaecumque administravi, ex vestra auctoritate et patrum conscriptorum voluntate feci, si malui inimicorum cupiditati quam rei publicae et legitimae auctoritati poenas sufferre, ut existimetis ex illo crudelissimo inimicorum impetu ereptum in antiquum statum dignitatis restitui convenire. sed quoniam neque mihi libere loquendi ne- 27
que vobis clementer audiendi neque omnino iudicandi paucorum furore et audacia facta est potestas, sed oppressa est res publica armis, metu debilitata servili, uti liberum spiritum ducendi nullam habeat potestatem, cedam inermus armatis, innocens nocentibus, privatus furibundo magistratui. neque enim Q. Metellus quidquam de sua virtute detraxit, quod cessit L. Saturnino furenti, neque C. Cotta, quod Q. Vario tribuno plebis inferiore genere orto cedendum putavit, neque C. Marius, qui quantas res gesserit vestra vobis libertas indicio esse poterit, neque M. Tullius suum animum a vestra abalienavit potestate, cum praecipuum vobis obsidem sui animi vestram reliquerit libertatem. quam ob rem testor 28
deos deasque immortales vestrasque maxime mentes, me non vitae turpitudine, non pro magnitudine scelerum, non propter reliquae aetatis infamiam poenas iure et lege persolvere, sed propter virtutis invidiam, propter iucundissimam ingenii laudem, propter magnitudinem rerum gestarum crudelissime civitate privari. quod si idem accidit Q. Caepioni, si Mancino, si Rutilio, mihi hoc accidisse non magno opere erit mirandum, cum praesertim non generis antiquitate, sed virtutis ornamentis summam laudem sim consecutus.

Nunc ego vos, equites Romani, obtestor, quorum 12 29
virtute nomen Romanum victoriam cum laude possidet coniunctam, quorum factis gloriantur cives, laetantur socii, gemunt hostes, ut, si erga vos omni tempore optime

fui animatus, si mea pericula neglexi, dum timorem a patria propulsarem, si aeque liberis vestris prospexi ac vos parentibus consuestis, ut nunc me velitis vestris opibus [defensum] incolumem in hac civitate retinere, quae civitas cum a scelerata coniuratione esset incensa, meo ductu ac labore restincta est, nec patiamini me a meis liberis abstractum, a coniuge abreptum, ab aris focisque innocentem proiectum vitam degere in exsilio, miserrimi mortalis casum subire. proiicitur Tullius in exsilium itaque: nimirum innocens ab inimico, religiosus a scelerato, benevolus huic civitati ab hoste. o misera vitae ratio, quae tam diu resides in voluptate, quam diu fortunae poscit libido! egone inimicus huic civitati? quam ob rem? quia inimicos necavi. egone hostis? quid ita? quia hostes interfeci. hem condicionem huius temporis! antea gloria ac laude dignissimi ducebantur qui haec perfecerunt, nunc scelerati ac parricidae esse dicuntur qui haec administrarunt. sint sane scelerati, superet istorum victoria, si modo victoria appellanda est, in qua civitatis inest luctus: habeant hanc palmam ex innocentis cruore: tantum a vobis, equites Romani, peto et rogo, ut, quem saepe numero vestra laude cohonestastis, eundem in dubiis vitae periculis vestra virtute conservetis.

INDICES.

INDEX NOMINUM.

guratus) populi iudicio togam dedit, p. Sestio 144. cena auguralis apud Lentulum, ad fam. VII, 26, 2. cum C. Cato tr. pl. (a. u. 698.) legem promulgasset de imperio patri eius abrogando, vestitum mutavit, ad Q. fr. II, 3, 1. p. Sestio 144. Alexandreae eum esse aiunt (a. u. 707.), ad Att. XI, 13, 1. Lentulus cum Metella fecit divortium (a. u. 701.), ad Att. XII, 52, 2. XIII, 7, 1. Spintherem exspectat Cicero, ib. 10, 3. Lentulus Spinther hodie (a. d. XII. Kal. Mai. a. u. 710.) apud me; cras mane vadit, ad Att. XIV, 11, 2. P. Lentulus pro quaestore et pro praetore et ad Ciceronem et ad senatum de suis rebus gestis epistolas scripsit, Perga datas a. d. IIII. Non. Iun. (a. u. 711.), quibus adpetebat procurationem Asiae, ad fam. XII, 14. 15. cf. ad Brut. II, 2, 3.

P. Cornelius Lentulus Sura, P. Lentuli (cos. a. u. 592.) nepos, Catil. IV, 13. P. Lentulus Sura aequalis Q. Hortensii et Cn. Lentuli Clodiani, Brut. 230. adulescens per triennium fere aberat (668—670), ib. 238. eius reditus, ib. 311. eius et excogitandi et loquendi tarditatem tegebat formae dignitas, corporis motus plenus et artis et venustatis, vocis et suavitas et magnitudo, ib. 235. quaestor urbanus (a. u. 673.), Verr. lib. I, 37. (praetor a. u. 679. cos. a. u. 683., a Cn. Lentulo et L. Gellio censoribus a. u. 685. ob libidinum foeditatem senatu motus, ut in senatum reciperetur, iterum praetor factus a. u. 691. Catilinariae coniurationis particeps supplicio adfectus est.) quos L. Gellius et Cn. Lentulus censores furti et captarum pecuniarum nomine notaverunt, ei non modo in senatum redierunt, sed etiam illarum ipsarum rerum iudiciis absoluti sunt, p. Cluentio 120. bis absolutus, ad Att. I, 16, 9. legatos Allobrogum belli Transalpini et tumultus Gallici excitandi causa sollicitavit, Catil. III, 4. ad Ciceronem vocatus, ib. §. 6. Allobrogibus confirmarat ex fatis Sibyllinis se esse tertium illum (post Cinnam et Sullam) Cornelium, ad quem regnum huius urbis pertineret, ib. §. 9 sqq. quis Lentuli societates cum indicibus, quis insaniam libidinum, quis perversam atque impiam religionem recordatur, qui illum aut nefarie cogitasse aut stulte sperasse miretur? p. Sulla 70. eius litterae ad Catilinam datae, Catil. III, 12. patres censuerunt ut, cum se praetura abdicasset, tum in custodiam traderetur, ib. 14. 15. IV, 5. P. Lentuli somnus, ib. III, 16. P. Lentulus suum nomen inductus a vatibus fatale ad perniciem rei p. fore putavit, ib. IV, 2. 12. C. Caesar non dubitat P. Lentulum, largitorem et prodigum, cum de pernicie populi R. tam crudeliter cogitarit, aeternis tenebris vinculisque mandare, ib. §. 10. leno quidam Lentuli frustra concursat circa tabernas ad pretio sollicitandos animos egentium, ib. §. 17. L. Caesar sororis suae virum (P. Lentulum) vita privandum esse dixit, ib. §. 13. Phil. II, 14. ad sepulturam corpus vitrici sui (P. Lentuli) M. Antonius negat a Cicerone datum, Phil. II, 17 sq. quod flagitium Lentulus non cum Autronio concepit? p. Sulla 16. de scelere P. Lentuli suppressa voce, de supplicio, de carcere magna et queribunda voce dixit L. Torquatus, ib. 30. cf. §. 33. 53. 76. P. Lentulo, qui vos in complexu liberorum coniugumque trucidatos incendio patriae sepelire conatus est, ferrum et flammam de manibus extorsimus, p. Flacco 95. 97.

Cn. (Cornelius) Lentulus Vatia, a Cn. Nerio indice (a. u. 698.) editus ad adligatos inter conscios corruptarum per P. Sestium tribuum, ad Q. fr. II, 3, 5.

Cornelius Nepos, notus historicus, Ciceronis, Attici, Catulli amicus, ad Att. XVI, 5, 5. 14, 4. Ciceronis ad eum epistolae, frgm. p. 38 sq.

P. Cornelius Rufinus, cos. a. u. 464., homo avarus et furax, sed egregie fortis et bonus imperator,

Licinius Denticula (al. Lenticula), conlusor M. Antonii, Phil. II, 56.

C. Licinius Geta, cos. a. u. 638., cum a L. Metello et Cn. Domitio censoribus ex senatu eiectus esset (a. u. 639.), censor ipse postea factus est (a. u. 646.), p. Cluentio 119.

Cn. (Licinius) Lucullus, familiaris Ciceronis, ad Att. XV, 1b, 1.

L. Licinius Lucullus, consul cum A. Postumio Albino (a. u. 603.), avus L. et M. Lucullorum, Brut. 81. ad Att. XIII, 32, 3. Acad. II, 137.

L. Licinius L. f. Lucullus, Pontici pater. Metellus Numidicus noluit sua laudatione iuvare L. Lucullum, sororis virum, quicum optime ei convenisset, Verr. IV, 147.

L. Licinius L. f. L. n. Lucullus (Ponticus). L. Lucullus, cum pro quaestore Alexandreae esset, Antiochum secum habuit, Acad. II, 11. Archias cum clarissimo imperatore L. Lucullo apud exercitum fuit (a. u. 684.), cum eodem quaestore (a. u. 668.) fuit in Asia, p. Archia 11. Eupolemus Calactinus nunc (a. u. 683.) apud exercitum cum L. Lucullo est, Verr. IV, 49. L. Lucullus consul fuit cum M. Aurelio Cotta (a. u. 680.), p. Cluentio 137. p. Murena 33. Verr. V, 34. L. Lucullus P. Clodium cum sorore germana nefarium stuprum fecisse iuratus se dixit comperisse, p. Milone 73. L. Lucullus per iocum (propter adulterium uxoris) vocatur Agamemno ad Att. I, 18, 3. L. Lucullo, iudici in causa L. Flacci, pro eximia libertate maximisque beneficiis in suos maximae venerunt hereditates, cum Asiam provinciam consulari imperio obtineret, p. Flacco 85. eius dicendi facultas, Brut. 222. illam Ἀκαδημικήν, in qua homines, nobiles illi quidem, sed nullo modo philologi, nimis acute loquuntur, ad Varronem transferamus: Catulo et Lucullo alibi reponemus, ad Att. XIII, 12, 3. Ἀκαδημικὴ σύνταξις primo fuit Catuli, Luculli, Hortensii, sed quoniam erat hominibus nota non illa quidem ἀπαιδευσία, sed in logicis ἀτριψία, eosdem illos sermones ad Catonem Brutumque transtuli, ib. 16, 1. 19, 5. L. Lucullus de suis historiis dicebat se, quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam et σόλοικα dispersisse, ib. I, 19, 10. bibliotheca, quam filio reliquit, de finn. III, 7. eius laudes militares, Acad. II, 1 sqq. eius studia atque doctrina, ib. II, 4. loquens inducitur in Academicis prioribus, ib. 10. L. Lucullo, summo imperatori, legatus fuit L. Murena, p. Murena 20. eius res adversus Mithridatem gestae, ib. 33 sq. 37. 69. de imp. Cn. Pomp. 5. 10. 20. nos ignari pulcherrimorum institutorum aut neglegentes potius M. Lucullum et L. Murenam et ceteros coniunctissimos ad L. Lucullum (legatos) misimus, ad Att. XIII, 6, 4. ab eo pulsus est Tigranes, rex Armeniae, p. Sestio 58. exercitu L. Luculli sollicitato fugit illim Romam P. Clodius, de har. resp. 42. Lucullus, persona dialogi Hortensii, frgm. p. 55. p. 57, n. 3. 4. 11. amplissimae eius laudes, p. Archia 21. eum L. Vettii indicio opprimere voluit P. Vatinius tribunus pl. (a. u. 695.), in Vatin. 24. ad Att. II, 24, 3. Lucullus mihi versatur ante oculos, vir cum omnibus virtutibus excellens tum mecum et amicitia et omni voluntate coniunctus, de finn. III, 8. L. Luculli villarum magnificentia, de off. I, 140. de finn. II, 107. III, 7 sq. de legg. III, 30. frgm. p. 57, n. 3. mortuus erat a. u. 698., de prov. cons. 22. cf. Luculli.

(L.) Licinius L. f. L. n. Lucullus, Pontici filius. puer a. u. 709., ad Att. XIII, 6, 2. pupillus Ciceronis, ib. XIV, 20, 1. eius tutor erat etiam M. Cato Uticensis, avunculus, de finn. III, 7. multa dabat signa pudoris et ingenii, ib. 9. clarissimus adulescens, propinquus M. Bruti, Phil. X, 8.

M. Licinius L. f. L. n. Lucullus,

etiam postea vixit; a quo cum in aliis rebus tum studiosissime in dialectica exercebatur. huic doctori et eius artibus variis atque multis ita erat tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. commentabatur declamitans saepe cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliquo cotidie, idque faciebat multum etiam Latine, sed Graece saepius, vel quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans consuetudinem similiter Latine dicendi adferebat, vel quod a Graecis summis doctoribus, nisi Graece diceret, neque corrigi posset neque doceri, Brut. 309 sq. (equidem memoria teneo pueris nobis primum Latine docere coepisse L. Plotium quendam, ad quem cum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere; continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse, frgm. p. 38.) eodem tempore Cicero Xenophontis Oeconomicum in Latinum convertit, de off. II, 87. cf. frgm. p. 50 sqq.

A. u. 672. aet. XXV. 'a Sulla dictatore (a. u. 672.) ad consules Paulum et Marcellum (a. u. 704.) nos in eodem cursu fuimus (quo Q. Hortensius): fato publico vox nostra exstincta est', Brut. 328.

A. u. 673. aet. XXVI. recuperata per Sullam re p. primum Cicero ad causas et privatas et publicas adire coepit, Brut. 311. et hoc anno causam privatam pro P. Quinctio apud C. Aquilium Gallum iudicem dixit, p. Quinctio 1 sqq.

A. u. 674. aet. XXVII. Cicero Sex. Roscium Amerinum filium parricidii reum defendit, quae causa publica prima tantum commendationis habuit, ut non ulla esset, quae non digna suo patrocinio videretur, praesertim cum ei subvenisset, qui L. Sullae dominantis opibus circumveniri urgerique videretur, Brut. 312. de off. II, 51. eodem tempore Moloni dedit operam; dictatore enim Sulla legatus ad senatum de Rhodiorum praemiis venerat, Brut. 312. hoc anno defendisse videtur etiam Varenum sicarium, qui tamen condemnatus est, frgm. p. 4 sq.

A. u. 675. aet. XXVIII. Arretinae mulieris libertatem defendit eamque causam contra Cottam hominem disertissimum obtinuit, p. Caecina 97. 'erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis, procerum et tenue collum, qui habitus non procul abesse putatur a vitae periculo. itaque cum me et amici et medici hortarentur, ut causas agere desisterem, quodvis potius periculum mihi adeundum quam a sperata dicendi gloria discedendum putavi, sed, ut consuetudinem dicendi mutarem, ea causa mihi in Asiam proficiscendi fuit; itaque cum essem biennium versatus in causis et iam in foro celebratum meum nomen esset, Roma sum profectus. cum venissem Athenas, sex mensis cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho fui studiumque philosophiae numquam intermissum a primaque adulescentia cultum et semper auctum hoc rursus summo auctore et doctore renovavi; eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum studiose exerceri solebam', Brut. 313 sqq. Athenis audiebat etiam Zenonem et Phaedrum Epicureos, quo magis hanc doctrinam perciperet, partim etiam Attici sui gratia; nam ibidem simul erant Q. frater et T. Pomponius et L. Cicero frater patruelis, de finn. I, 16. V, 1. ibidem et ipse et Atticus Eleusiniis mysteriis initiati sunt, de legg. II, 36. post a me (a. u. 676.) Asia tota peragrata est, fuique cum summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar ipsis lubentibus, quorum erat princeps Menippus Stratonicensis. adsiduissime autem mecum fuit Dionysius Magnes; erat etiam Aeschylus Cnidius, Adramyttenus Xenocles. quibus non contentus Rhodum ve-

ni meque ad eundem, quem Romae audiveram, Molonem applicavi, cum actorem in veris causis scriptoremque praestantem, tum in notandis animadvertendisque vitiis et instituendo docendoque prudentissimum. is dedit operam, ut nimis redundantis nos et superfluentis iuvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret et quasi extra ripas diffluentis coërceret, Brut. 315 sq. ibi etiam Posidonium philosophum audivit, quem ideo familiarem suum vocat de finn. I, 6. et magistrum de fato 5. cf. de deor. nat. I, 6. eodem anno Smyrnae P. Rutilium Rufum exsulem convenit, Brut. 85. de re p. I, 13.

A. u. 677. aet. xxx. recepit se Romam non modo exercitatior, sed prope mutatus; nam et contentio nimia vocis resederat et quasi deferverat oratio lateribusque vires et corpori mediocris habitus accesserat, Brut. 316. ad hunc annum referenda videtur oratio pro Q. Roscio comoedo, a quo Cicero in actionis arte institutus erat.

A. u. 678. aet. xxxi. quaesturam petiit et causas nobilis egit, Brut. 318. quaestor cunctis suffragiis populi R. factus est, in Pison. 2.

A. u. 679. aet. xxxii. eum quaestorem Siciliensis excepit annus, Brut. 318. cum autem bini quaestores in Sicilia singulis praetoribus essent, Lilybaetanus et Syracusanus, Cicero Lilybaetanus quaestor fuit praetore Sex. Peducaeo, Pseudoascon. p. 100. 'ego quaestor ignoratum ab Syracusanis, cum esse omnino negarent, saeptum undique et vestitum vepribus et dumetis indagavi Archimedis sepulcrum', Tusc. V, 64. sic autem obtinuit quaesturam in Sicilia provincia, ut omnium oculos in se coniectos esse arbitraretur, ut se quaesturamque suam quasi in aliquo terrarum orbis theatro versari existimaret, ut semper omnia, quae iucunda esse viderentur, ea non modo his extraordinariis cupiditatibus, sed etiam ipsi naturae ac necessitati denegaret, Verr. V, 35. cf. p. Plancio 64.

A. u. 680. aet. xxxiii. e provincia Sicilia hac spe decedebat, ut sibi populum R. ultro omnia delaturum putaret. sed hac spe falsus summam operam dedit, ut praesens populo R. industria, vigilantia, studio, adsiduitate se probaret, p. Plancio 65 sq. cum e Sicilia se recepisset, iam videbatur illud quidquid erat in eo esse perfectum et habere maturitatem quandam suam, Brut. 318.

A. u. 684. aet. xxxvii. aedilis prior cunctis suffragiis populi R. factus est, in Pison. 2. designatus aedilis Verris accusationem suscepit et in patrocinio Siciliensi cum designato consule Q. Hortensio in certamen venit, Brut. 319.

A. u. 685. aet. xxxviii. trinos ludos aedilis fecit, p. Murena 40. pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus, nostro quidem anno, sane exiguus sumptus aedilitatis fuit, de off. II, 59.

A. u. 686. aet. xxxix. mortuus est L. Cicero M. Tullii Ciceronis frater patruelis, cuius mortem deplorat ad Att. I, 5.

A. u. 687. aet. xl. praetor primus cunctis suffragiis populi R. factus est, in Pison. 2. propter dilationem comitiorum (v. ad Att. I, 10, 6. 11, 2.) ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus est, de imp. Cn. Pomp. 2. 'praetor primus et incredibili populi voluntate sum factus; nam cum propter adsiduitatem in causis et industriam, tum propter exquisitius et minime volgare orationis genus animos hominum ad me dicendi novitate converteram', Brut. 321.

A. u. 688. aet. xli. Cicero praetor quaestioni de pecuniis repetundis praefuit, p. Rabirio Post. 9. frgm. p. 9, n. 1. p. Cluentio 147. apud eum C. Licinius Macer accusatus et damnatus est, ad Att. I, 4, 2. eodem anno C. Manilius tribunus plebis legem promulgavit, ut Pompeio, qui tum in Cilicia belli

maritimi reliquias persequebatur, bellum Mithridaticum committeretur. eam legem Cicero praetor suasit oratione, quae est 'de imperio Cn. Pompeii.' eodem anno A. Cluentium Habitum defendit apud conlegam in praetura Q. Voconium Nasonem oratione, quae exstat.

A. u. 689. aet. XLII. Cicero C. Cornelium maiestatis reum duabus orationibus defendit, Or. 225. 232. frgm. p. 7 sqq. hoc anno Cicero se parabat ad consulatum anno proximo petendum, ad Att. I, 1, 1 sq.

A. u. 690. aet. XLIII. L. Iulio Caesare C. Marcio Figulo consulibus filiolo auctus est salva Terentia, ad Att. I, 2, 1. hoc tempore Catilinam competitorem suum defendere cogitabat, ib. I, 2, 1. Tulliolam C. Pisoni L. f. Frugi despondit, ib. I, 3, 3. hoc anno Cicero consulatum petiit, qua in petitione competitores habuit P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam, C. Antonium, L. Cassium Longinum, Q. Cornificium, C. Licinium Sacerdotem, Q. Cic. de petit. cons. 7 sqq. p. Murena 17. Ciceronem cuncta Italia, omnes ordines, universa civitas non prius tabella quam voce priorem consulem declaravit, in Pison. 3. cf. de l. agr. II, 3 sqq.

A. u. 691. aet. XLIV. Cicero consulatum gessit cum C. Antonio. Kalendis Ianuariis accepit rem p. plenam sollicitudinis, plenam timoris, de l. agr. II, 8. Cicero Antonium conlegam indulgentia quadam usus ita sustinuit ac moderatus est, ne quid auderet in rem p. ipse moliri, p. Sestio 8. Cicero perfecit, ut lex agraria a P. Servilio Rullo tribuno pl. promulgata, quae perniciosa civitati fore videbatur, perferri non posset, quippe cum Cicero L. Caecilio, ut huic legi intercederet, persuasisset, p. Sulla 65. paulo post cum L. Roscius Otho tribunus pl. a. u. 687. legem tulisset, qua sancitum est, ne quis in quattuordecim gradibus orchestrae, in qua senatores sedebant, proximis sederet, nisi qui eques et equestri censu esset, et Cicerone consule plebs Roscium in theatro sibilis insectata esset, Cicero eam in aedem Bellonae evocatam mitigavit effecitque, ut plebs notatam se discrimine sedis aequo animo ferret. deinde habuit illam, quae exstat, sed mutilata, orationem pro C. Rabirio perduellionis reo, in Pison. 4. tum cum olim Sulla dictator proscriptorum filios lege lata petendorum honorum iure privasset, iique petissent, ut lege illa Cornelia abrogata capessendorum honorum sibi potestas fieret, Cicero oratione habita adulescentis bonos et fortis, sed usos ea condicione fortunae, ut, si essent magistratus adepti, rei p. statum convolsuri viderentur, suis inimicitiis, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione privavit, ib. tum cum L. Sergius Catilina, ut in proximum annum consul designaretur, multa moliretur nihilque intemptatum relinqueret, Cicero ex senatus consulto legem tulit ad populum, ut ad poenam ambitus crimini constitutam decem annorum exsilium adderetur; simul hac lege vetitum est biennio, quo quis petat petiturusve sit, gladiatores dare, nisi ex testamento praestituta die, in Vatin. 37. cf. T u l l i a lex. tum cum comitia consularia indicta essent in ante diem XII. Kal. Nov., Cicero pridie de coniuratione Catilinae ad senatum rettulit. factum est senatus consultum: viderent consules, ne quid res p. detrimenti caperet. comitiis consularibus Catilina iterum repulsam tulit consulibus creatis D. Iunio Silano et L. Licinio Murena. Catilina coniuratos noctu in M. Laecae domo adesse iussit, ibi distribuit partis Italiae, statuit quo quemque proficisci placeret, delegit quos Romae relinqueret, quos secum educeret, descripsit urbis partis ad incendia, confirmavit se ipsum iam esse exiturum, dixit paululum sibi esse etiam tum morae, quod Cicero

viveret. reperti sunt duo equites R., qui sese illa ipsa nocte paulo ante lucem Ciceronem in suo lectulo interfecturos pollicerentur. Cicero per Fulviam de eo consilio certior factus domum suam maioribus praesidiis firmavit, exclusit eos, quos Catilina ad eum mane salutatum miserat, Catil. I, 7 sqq. a. d. VI. Idus Novembr. senatu in aedem Iovis Statoris convocato, cum eodem Catilina quoque venisset, Cicero habuit primam, quae exstat, orationem in Catilinam, qua omnia eius consilia sibi cognita esse ostendit, eumque ex urbe exire suosque omnis aut certe quam plurimos educere iussit. itaque Catilina cum trecentis armatis proxima nocte in Manliana castra profectus est. postridie Cicero secundam habuit orationem in Catilinam, ad Quirites, qua eum urbe excessisse nuntiat populoque gratulatur eum ex occultis insidiis in apertum latrocinium esse coniectum. paulo post senatus Catilinam et Manlium hostis iudicavit decrevitque ut consules dilectum haberent, Cicero urbi praeesset, Antonius exercitu Catilinam persequeretur. interim cum Murena consul designatus a Ser. Sulpicio, M. Catone, Cn. Postumio de ambitu accusatus esset, defenderunt eum Q. Hortensius et M. Crassus et Cicero consul oratione, quae est pro Murena, p. Flacco 98. paulo post cum Cicero comperisset P. Lentulum Suram legatos Allobrogum belli Transalpini et tumultus Gallici excitandi causa sollicitasse eosque in Galliam ad suos cives eodemque itinere cum litteris mandatisque ad Catilinam esse missos, itemque iis adiunctum esse Volturcium atque huic datas esse ad Catilinam litteras, Cicero L. Valerio Flacco et C. Pomptino praetoribus imperavit, ut legatos Allobrogum ad pontem Mulvium comprehenderent. itaque a. d. IV. Non. Decembr. tertia fere vigilia exacta, cum iam pontem legati Allobrogum ingredi inciperent unaque Volturcius, fit in eos impetus, litterae, quaecumque erant in illo comitatu, integris signis, praetoribus traduntur, ipsi deprehensi ad consulem deducuntur. ita patefacta horum indiciis coniuratione principes eius Cicero ad se venire iussit, senatum in aedem Concordiae vocavit, rem omnem introductis indicibus exposuit, senatumque consuluit de summa re p. quid fieri placeret. tum ex senatus consulto Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinius, Ceparius in custodiam traditi, Ciceronis autem nomine supplicatio dis decreta est, quod urbem incendiis, caede civis, Italiam bello liberasset: quas res ita gestas sub noctem Cicero populo in contione exposuit oratione tertia Catilinaria. Nonis Decembr. cum Cicero intellegeret paratos esse qui Lentulum et Cethegum e custodia eriperent, ad senatum convocatum de ea re rettulit consuluitque, quid de iis fieri placeret, qui in custodiam traditi erant. cum duae essent sententiae, una D. Silani consulis designati, qui censuit eos morte multandos esse, altera C. Iulii Caesaris, qui eos publicatis bonis in vinculis habendos esse censuit, Cicero surrexit et de utraque sententia quid sibi videretur exposuit oratione quae quarta numeratur in Catilinam. ac vicisset profecto Caesaris sententia, nisi M. Porcius Cato vehementi oratione in coniuratos habita extremo eos supplicio dignos esse senatui persuasisset. facto igitur in eius sententiam senatus consulto supplicium de Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, Cepario in carcere sumptum est. eae sunt Nonae illae Decembres, totiens a Cicerone celebratae, ut ad fam. I, 9, 12. ad Att. X, 1, 1. pridie Kal. Ian. Q. Metellus Nepos novus tribunus pl. Ciceronem in contione dicere prohibuit quae constituerat eique tantum ut iuraret permisit. itaque Cicero sine ulla dubitatione iuravit rem p. atque urbem sua unius opera esse salvam. Tullius ipse breviter

consulatum suum descripsit in Pison. 4 sqq. de orationibus, quas Cicero consul habuit, ipse haec scripsit: 'fuit mihi commodum curare, ut meae quoque essent orationes, quae consulares nominarentur; quarum una est in senatu Kalendis Ianuariis, altera ad populum de lege agraria, tertia de Othone, quarta pro Rabirio, quinta de proscriptorum filiis, sexta, cum provinciam in contione deposui, septima, qua Catilinam emisi, octava, quam habui ad populum postridie quam Catilina profugit, nona in contione, quo die Allobroges indicarunt, decima in senatu Nonis Decembribus. sunt praeterea duae breves, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariae', ad Att. II, 1, 3.

A. u. 692. aet. XLV. 'in senatu Kalendis Ianuariis sic cum Metello de re p. disputavi, ut sentiret sibi cum viro forti et constanti esse pugnandum. a. d. III. Nonas Ianuarias cum agere coepisset, tertio quoque verbo orationis suae me appellabat, mihi minabatur, neque illi quicquam deliberatius fuit quam me, quacumque ratione posset, non iudicio neque disceptatione, sed vi atque impressione evertere. huius ego temeritati si virtute atque animo non restitissem, quis esset qui me in consulatu non casu potius existimaret quam consilio fortem fuisse? ad fam. V, 2, 8. ei Cicero opposuit orationem Metellinam, ad Att. I, 13, 5., id est orationem contra Metelli contionem, quae aetatem non tulit, frgm. p. 26 sq. quibus de rebus cum Metellus Q. f. Celer procos. litteris ad Ciceronem scriptis (ad fam. V, 1.) questus esset fratrem suum tribunum plebis ob dictum capite ac fortunis ab eo oppugnari, respondit ei Cicero docuitque se non oppugnavisse fratrem eius, sed ab ipso oppugnatum ei repugnasse, ad fam. V, 2, 10. hoc anno C. Antonius, cum Catilina ab eius legato M. Petreio proelio victus esset, imperator salutatus profectus est in Macedoniam provinciam, cui per triennium praefuit. et cum Cn. Pompeius litteris publice ad senatum missis de rebus in bello Mithridatico gestis rettulisset, Cicero ei gratulatus est, simul autem significavit se ob res a se in consulatu gestas aliquam in eis litteris gratulationem exspectasse, quam ab eo praetermissam esse arbitrabatur, quod Pompeius vereretur, ne cuius animum offenderet. itaque eum scire volt, quae pro salute patriae gesserit, orbis terrae iudicio ac testimonio comprobari, ib. V, 7, 3. extremo hoc anno P. Clodius Ap. f. cum veste muliebri deprehensus est domi C. Caesaris, cum pro populo fieret, et per manus servulae servatus est et eductus, quam rem esse insigni infamia Cicero scribit ad Att. I, 12, 3.

A. u. 693. aet. XLVI. in causa P. Clodii incesti crimine accusati Cicero nihil pro testimonio dixit nisi quod erat ita notum atque testatum, ut non posset praeterire, ad Att. I, 16, 2. Clodio ob iudicum egestatem ac turpitudinem absoluto eius absolutionis causas Cicero narrat ib. 16, 3 sqq. quae postea egerit ad minuendum rei p. detrimentum ex nefario hoc iudicio metuendum exponit ib. 16, 6 sqq. frangit Clodium in senatu cum oratione perpetua, tum altercatione, ib. 16, 8 sqq. a Pompeio valde diligi videtur, ib. 16, 11. concordiam equitum cum senatu conservare cupiens illorum iniqua postulata defendit, ib. 17, 8 sqq.

A. u. 694. aet. XLVII. utitur Pompeio familiarissime, ad Att. I, 17, 10. queritur post Clodium absolutum eum esse rei p. statum, ut res Romanae stare diutius non possint, ib. 18, 2 sqq. putat sibi maiores opes et firmiora praesidia esse quaerenda, ideoque Pompeium ad se in senatu laudandum adducit, cum eoque magna se familiaritate coniungit, neque tamen nimium novae amicitiae confidit, ib. 19, 7. odia libidinosae iuventutis in se concitata mitigat, ib. 19, 8. neminem se habere queritur, qui viam

optimatem post Q. Catuli mortem secum teneat, ib. 20, 3. cupit Pompeium et Caesarem de levitate populari abducere, ib. II, 1, 6. dubitat, quam rationem in causa legis agrariae, quam Caesar ferre volebat, sequatur, ib. 3, 3. scribit ad fratrem, cum ei provincia Asia in tertium annum prorogata esset, ad Q. fr. I, 1.

A. u. 695. aet. xlviii. scribit de Clodii, qui iam ad plebem transierat, rationibus suisque consiliis, magis ad otium quam ad rem p. gerendam spectantibus, ad Att. II, 7. cum Pompeius hac condicione Clodii transitionem ad plebem adiuvisset, ne quid moliretur ad Ciceronem vexandum, Cicero scribit: 'si ea, quae de me pacta sunt, a Clodio non servantur, in caelo sum, ut sciat Hierosolymarius (i. e. Pompeius) traductor ad plebem, quam bonam meis putissimis orationibus gratiam rettulerit, quarum exspecta divinam παλινῳδίαν', ib. II, 9, 1. quae de tribunatu plebis, quem Clodius petiturus erat, cogitet, exponit ib. 15, 2. item de lege agraria a Caesare promulgata et de Pompeii in ea probanda consilio, ib. 16, 1 sq. Pompeium ait tyrannidem adfectare, ib. 17, 1. desperatum rei p. statum dolet, ib. 18, 1 sq. a Caesare se liberaliter invitari scribit, sibi ut sit legatus; etiam liberam legationem voti causa dari, quam tamen adversus Clodii impudentiam praesidii satis non habere putat. itaque illam quidem se tenere ait, sed usurum haud putare, ib. 18, 3. sperat se Clodii minas vel subire cum dignitate vel declinare sine molestia posse, ib. 19, 1. Cosconio mortuo, qui erat inter xxviros agro Campano dividundo, invitatur in eius locum, quod ut turpe repudiat, ib. 19, 4. scribit a Pompeio se amari, Clodium sibi periculum denuntiare, Pompeium adfirmare se prius occisum iri ab eo quam Ciceronem violatum iri, ib. 20, 1 sq. scribit de perdito rei p. statu et maiore quod immineat periculo, de mala Pompeii existimatione et Bibuli consulis gloria, de suis ex Clodii inimicitia periculis, ib. 21, 1 sqq. amat Pompeium, etsi propter Clodianum negotium nemo putat eum illi amicum esse debere, ib. 21, 4. Pompeius etsi confirmat Clodium nihil contra Ciceronem facturum, hic tamen ad resistendum se parat, ib. 21, 6. scribit se publicis consiliis nullis interesse, sed causis forensibus operam dare, ib. 22, 3. 23, 3. cum Clodius in dies maiores terrores denuntiaret, Atticum saepius rogat Cicero, ut Romam advolet, ib. 22, 4. 23, 3. 24, 5. 25, 2. interea Cicero bis defendit A. Thermum, p. Flacco 98., item L. Valerium Flaccum, qui ex praetura Cicerone consule gesta Asiam provinciam obtinuerat, a D. Laelio de pecuniis repetundis accusatum, una cum Hortensio defendit oratione, quae exstat, cf. ad Att. II, 25, 1.

A. u. 696. aet. xlix. L. Calpurnio Pisone Caesonino A. Gabinio coss. Clodius tribunus pl. factus praeter alias leges popularis et perniciosas hanc quoque tulit, ut, qui civem R. indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur, qua lege etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur. Cicero igitur tamquam reus vestitum mutat, sordidatus incedit populoque supplex fit, cuius rei eum sero paenitet. simul tamen cum eo equester ordo senatusque frequens vestem pro Ciceronis salute mutandam censuit, p. Sestio 27. immo cum incredibilis in Capitolium multitudo ex tota urbe cunctaque Italia convenisset, vestem mutandam omnes Ciceronemque omni ratione defendendum putarunt, ib. 26. consules interim edixerunt, ut senatus ad suum vestitum rediret, ib. 32. in Pison. 23. itaque Cicero a consulibus et ab ipso Cn. Pompeio desertus et proditus maluit urbe cedere quam bonorum vitam servis armatis obicere, p. Sestio 36 sqq. in Pison. 32. venit igitur Vibonem Atticumque ut eo veniat rogat, ad Att. III,

3. Thurium venit, ib. III, 5. in Tarentinum, ib. III, 6. Brundisii XIII. dies moratur, ad fam. XIV, 4, 2. Thessalonicam venit, ad Att. III, 8, 1. incredibili maerore adflictus et confectus est, ib. 8, 2. de morte voluntaria cogitat, ib. 9, 1. ad Q. fr. I, 3, 1 sq. metuit ne sibi noceat oratio in Curionem prolata, ad Att. III, 12, 2. 15, 3. rogat Atticum, ut sibi ex agro suo tantum adsignet, quantum suo corpore occupari possit, ib. 19, 3. Thessalonicae Plancius eum per septem menses retinet omnibus officiis, ib. 22, 1. fratris e provincia decedentis videndi occasionem vitat, ib. 9, 1. ad Q. fr. I, 3, 1. ei gratias agit suamque uxorem et liberos commendat, ad Q. fr. I, 3, 10. scribit ad Atticum, se quod amici velint bene de fortuna sua speraturum, suam tamen calamitatem ita magnam esse, ut ab Attico potius relevandus quam ob animi infirmitatem obiurgandus sit, ad Att. III, 10. 11. negat se, quod Atticus audierat, mentis errore ex dolore adfici, ib. 13, 2. Kalendis Iun. senatus de Cicerone revocando decernit referente L. Ninnio tribuno pl. intercessit autem Aelius Ligus tribunus pl., p. Sestio 69. spem salutis ex tribunorum in annum proximum designatorum favore concipit, ad Att. III, 13, 1. ad Q. fr. I, 4, 3. scribit, si Atticus aut alius quis fuisset, qui se Pompeii minus liberali consilio perterritum a turpissimo consilio ex urbe discedendi revocaret, futurum fuisse, ut aut occumberet honeste aut victor hodie viveret, ad Att. III, 15, 4. Thessalonica Dyrrhachium proficiscitur, ib. 22, 4. ad fam. XIV, 1, 7. in lege salutis suae causa ab octo tribunis pl. promulgata quid desideret Attico exponit, ad Att. III, 23, 1 sqq. scribit sibi non placere amicorum consensu provincias consulum designatorum ornatas esse, quod vereatur ne ea res novorum tribunorum pl. animos a se alienet, ib. 24, 1. senatus consulto de lege Ciceronis restituendi causa ferenda facto scribit se legis lationem exspectaturum, si quis autem tribunus pl. intercesserit, auctoritate senatus usurum et in patriam vel cum vitae periculo rediturum, ib. III, 26.

A. u. 697. aet. L. P. Cornelio Lentulo Spinthere Q. Caecilio Metello coss. Cicero primum Metello, qui deposita simultate Lentulum in eo restituendo adiuverat, gratias agit, eumque ut opem sibi ferre pergat rogat, ad fam. V, 4. Kalendis Ianuariis cum de Cicerone consul Lentulus ad senatum rettulisset, princeps sententiam rogatus L. Cotta dixit nihil de Cicerone actum esse iure, nihil more maiorum, nihil legibus, qua re eum, qui nulla lege abesset, non restitui lege, sed revocari senatus auctoritate oportere, p. Sestio 73. sed post eum Cn. Pompeius dixit sese otii Ciceronis causa, ut omni populari concitatione defungeretur, censere, ut ad senatus auctoritatem populi quoque R. beneficium erga eum adiungeretur, ib. 74. interim cum omni mora, ludificatione, calumnia senatus auctoritas impediretur, venit tandem concilii de Cicerone agendi dies VIII. Kal. Febr. hoc autem die Clodius cum suis adseculis caede in foro maxima facta multisque volneratis comitia turbavit reditumque Ciceronis flumine sanguinis intercludendum putavit, ib. 75. tandem facto senatus consulto, ut Ciceronis causa cuncti, qui rem p. salvam vellent, ex Italia convocarentur, compluribusque Lentuli consulis et Pompeii contionibus de eius salute habitis Lentulus consul senatum in Capitolium convocavit, ibique in templo Iovis senatus consultum de Cicerone revocando factum est in Pompeii sententiam, qui de scripto dicta sententia Ciceroni testimonium conservatae patriae dederat, ib. 128. idque senatus consultum in theatro, cum eo consul et senatores ad ludos spectandos convenissent, incredibili clamore et plausu comprobatum est. postero die in

honoribus anteponit, ib. 13[15a], 1. defendit Messium, ad Att. IV, 15, 9. item Drusum et Scaurum et Vatinium, ib. 15, 9. ad Q. fr. II, 15[16], 3. statuit ad nullam medicinam rei p. sine magno praesidio accedere, ad Q. fr. II, 15[16], 2. rogat Quintum, ut sibi iudicium Caesaris de quodam poëmate suo explicet, ib. 15[16], 5. ait se nullas in Caesaris rebus δευτέρας φροντίδας habere posse, quia eum secundum fratrem et liberos maxime amet, ib. III, 1, 18. causas exponit, cur post reditum ab exsilio Caesaris dignitatem tuendam susceperit, item cur cum Vatinio et Crasso in gratiam redierit, ad fam. I, 9,4—20. Caesaris aedificationem in foro et in campo Martio sententia sua iuvat, etiam si profusionem pecuniae improbet, ad Att. IV, 16, 8[14]. a Caesare videt se honorificentissime tractari et unice diligi, ad fam. VII, 17, 2. metu Pompeii noluit Gabinium accusare, ad Q. fr. III, 4, 1 sq. multo minus eum Pompeii gratia defendere voluit, ib. 4, 3. testimonium in eum dicit, ib. dolet nullam esse rem p. seque ea aetate, ubi auctoritate senatoria florere deberet, aut forensi labore iactari aut domesticis litteris sustentari, ib. 5, 4. eodem anno Reatinorum causam egit contra Interamnates de lacu Velino, p. Scauro 27.

A. u. 701. aet. LIV. Cicero in locum M. Crassi in expeditione adversus Parthos interfecti augur fit a toto conlegio expetitus, Phil. II, 4. Brut. 1.

A. u. 702. aet. LV. a. d. XIII. Kal. Febr. P. Clodius in via Appia Miloni obviam factus occiditur. v. Kal. Mart. Pompeius ab interrege consul creatur sine conlega, eiusque lege de vi Milo accusatur ob caedem Clodii: eum defendit Cicero, quam orationem postea scripsit, cum Milo condemnatus Massiliae exsularet, Ascon. p. 31 sqq. p. 53 sqq. mense Decembri T. Munatius Plancus Bursa a Cicerone accusatus, a Cn. Pompeio defensus, condemnatus est, Phil. VI, 10. XIII, 27. ad fam. VII, 2, 2.

A. u. 703. aet. LVI. procos. fit Ciliciae, ad fam. III, 2. eius in provincia iustitia, abstinentia, clementia, ad Att. V, 16, 3. V, 20. VI, 2, 4 sq.

A. u. 704. aet. LVII. vehementer laborat, ne sibi provincia prorogetur, ad Att. V, 21, 3. imperator salutatur, ib. VI, 1, 9. eius ratio publicanos in provincia tractandi, ib. 1, 16. magno urbis desiderio et satietate provinciae tenetur, ad fam. II, 11, 1. dubitat quem relinquat qui provinciae praesit, ad Att. VI, 3, 1. res a se gestas dignas triumpho putat, ib. 3, 3. in discidiis Caesaris et Pompeii ait se nullum periculum videre stante Pompeio vel etiam sedente, ib. 3, 4. de supplicatione Ciceroni decernenda quae in senatu acta sint, ad fam. VIII, 11, 1 sqq. XV, 5, 2. Catonis ei supplicationem non decernentis sententia ceteroquin honorifica, ib. XV, 5, 2 sq. ad Att. VII, 1, 7. eum tamen Cicero cum comperisset Bibulo viginti dierum supplicationem decrevisse, turpiter dicit in se malevolum, ib. 2, 6 sq. Ciceronis de provincia decessuri sollicitudines, ib. VI, 5, 3. queritur Bibuli voluntatem a se abhorrere, ad fam. II, 17, 6. cur provincia decedens noluerit fratrem praeficere, ad Att. VI, 6, 3. cur potius Caelium quaestorem in ea reliquerit, ad fam. II, 15, 4. ad Att. VI, 6, 3. triumphum cupit, ad Att. VI, 6, 4. 8, 5. VII, 2, 6. negat in eo expetendo se vanum, in abiciendo ἄτυφον futurum, ib. VI, 9, 2. vehementer aestuat, quas partis secuturus sit in Caesaris et Pompeii dimicatione, ib. VII, 1, 2 sqq. pecuniam ad apparatum triumphi necessariam ad Atticum redigere volt. molestum vero est, quod solvendi sunt nummi Caesari et instrumentum triumphi eo conferendum, ib. 8, 5. putat Caesarem, si vicerit, in caede principum haud clementiorem fore, quam Cinna fuit, nec moderatiorem quam Sulla

et dolorem attulit, quem multi litteris consolatoriis ad eum scriptis (ad fam. IV, 5. IX, 11. ad Att. XII, 13, 1. 14, 4.), ipse autem libro de consolatione scripto (frgm. p. 71 sqq.) minuere studuit. paulo post Tulliae mortem Publiliae uxori nuntium remisit, quod visa esset Tulliae morte laetari. hoc anno scripsit Hortensium s. librum de philosophia (frgm. p. 55 sqq.), deinde Academicorum libros duo, quorum alterum Catulum, alterum Lucullum appellavit, e quibus posterior exstat. postea vero totam hanc disputationem quattuor libris explicatam ad Varronem transtulit, e quibus pars quaedam libri primi, ceterorum pauca fragmenta supersunt. eodem anno scripsit libros quinque de finibus bonorum et malorum. post reditum Caesaris ex Hispania mense Octobri reversi Cicero apud eum regem Deiotarum defendit, quam orationem postea scriptam ad Dolabellam misit, ad fam. IX, 12, 2.

A. u. 710. aet. LXIII. Kal. Ian. cum Caesar quintum consul cum M. Antonio Dolabellam sibi surrogare vellet resistente Antonio, Cicero in senatu adfuit. Lupercalibus XV. Kal. Mart. cum Caesar in rostris sedens in sella aurea, amictus toga purpurea, spectaret Lupercos, Antonius, qui erat tum ipse Lupercus, ad sellam eius accessit capitique diadema imposuit, quod Caesar cum plausu populi repudiavit, Phil. II, 85 sqq. III, 12. XIII, 7. 17. Idibus Martiis Caesar a coniuratis M. Bruto, C. Cassio, ceteris in curia Pompeii XXIII. plagis confossus est. eo interfecto M. Brutus cruentum alte extollens pugionem Ciceronem nominatim exclamavit eique recuperatam libertatem est gratulatus, ib. II, 28. ex quo Antonius colligebat eum coniurationis conscium fuisse, ib. 30. certum tamen est eum, quamvis M. Bruto familiarissime uteretur, eius expertem fuisse, ad fam. XII, 4, 1. Antonium putat epularum magis rationem habere quam quicquam mali cogitare, ad Att. XIV, 3, 2. dolet non una cum libertate rem p. quoque recuperatam, ib. 4, 1. XV, 4, 2. queritur Caesaris interfectores laudari, tyranni tamen facta defendi, ib. XIV, 6, 2. 10, 1. 11, 1. 14, 2 sqq. mense Quinctili in Graeciam proficisci cogitat, ad Att. XIV, 7, 2. Antonius ad eum scribit de restitutione Sex. Clodii, cui Cicero se facilem praebet, ib. 13, 6. Antonii amicitiam retinere volt, ad fam. XVI, 23, 2. laudat Dolabellam ob severitatem animadversionis in homines seditiosos, ib. IX, 14. ad Att. XIV, 18, 1. cf. ad fam. XII, 1, 1. laudat Bruti orationem habitam in contione Capitolina, ad Att. XV, 1 b, 2. scribit Dolabellam decrevisse, ut Cicero sibi in Syriam ituro legatus esset, qua legatione licebat ei per quinquennium abesse, ib. XV, 11, 4. exponit, quid sibi de Octaviani animo et ingenio videatur, ib. 12, 2. scribit de periculis rei p. ab Antonio imminentibus, ib. 20, 2. cogitat in Graeciam navigare, ib. 20, 3. 21, 3. 25. ad fam. XI, 29, 1. ad Att. XVI, 1, 3. 4, 4. 5, 3. illud iter ingreditur, ad fam. VII, 19. ad Att. XVI, 6. subito tamen revertitur eiusque reversionis causas exponit, ad Att. XVI, 7, 1. Phil. I, 7 sqq. prid. Kal. Sept. in urbem rediit. Antonius cos. Kal. Sept. senatum habuit de supplicationibus Caesari decernendis et Ciceronem in curiam vocavit. qui cum de via langueret et sibi displiceret, misit pro amicitia qui hoc ei diceret. at ille cum fabris se venturum eiusque domum disturbaturum minatus est. postridie Cicero absente Antonio in senatum venit habuitque orationem Philippicam primam, in qua expositis profectionis et reversionis causis graviter queritur de Antonii iniuria superiore die facta, tum leges eius reprehendit, denique eum et conlegam in consulatu Dolabellam hortatur, ut diligi quam metui a civibus malint et rei p. saluti et incolumitati consulant. Antonius ira

quoque et Philippum reprehendit, quod mandata Antonii tamquam eius legati, non tamquam legati a senatu ad eum missi, perferenda recepissent. referente autem Pansa consule de honore Ser. Sulpicii, qui in legatione ad Antonium, quam valetudine graviter adfectus susceperat, cum iam ad congressum conloquiumque eius pervenisset, ad quem erat missus, in ipsa cura et meditatione obeundi sui muneris mortem obierat, P. Servilius sententiam rogatus decernendum ei publice sepulcrum censuit, statuam non censuit, Cicero autem post illum rogatus oratione Philippica nona suasit, ut praeter sepulcri honorem ei statua pedestris aënea in rostris statueretur, in eamque sententiam senatus consultum factum esse auctoritate probatur Pomponii de origine iuris, qui hanc statuam pro rostris Augusti exstare testatur. postea cum M. Brutus seu Q. Caepio Brutus de rebus suis in Macedonia gestis ad senatum litteras publice misisset, Pansa statim senatu convocato de his litteris rettulit, Cicero oratione Philippica decima censuit eum et Q. Hortensium proconsulem publice conlaudandos iisque provinciarum administrationem ac tutelam porro committendam esse. deinde cum C. Antonius Apolloniam teneret, C. Trebonius autem Asiam provinciam obtinuisset, P. Dolabella in Syriam proficiscens Trebonium incautum Smyrnae oppressit et crudelissime verberibus ac tormentis laceratum interfecit. qua re cognita senatus Dolabellam hostem iudicavit, et cum in senatu ageretur de imperatore deligendo, qui Dolabellam bello persequeretur, Cicero censuit C. Cassium deligendum esse, quam sententiam complexus est oratione Philippica undecima. cui sententiae cum Pansa consul repugnasset, Cicero productus in contionem a tribuno pl. M. Servilio eandem causam apud populum summo eius consensu egit, quod ipse Cassio significat, ad fam. XII, 7, 1. paulo post XIV. Kal. April. Quinquatribus senatus decrevit, ut Minervae custodis urbis simulacrum anno superiore turbinis vi deiectum et fractum restitueretur, ad fam. XII, 25, 1. cumque Antonii amici pacis cum eo ineundae mentionem fecissent, senatus legatos ad eum decrevit M. Ciceronem et P. Servilium. itaque Cicero in senatu habuit orationem Philippicam duodecimam, in qua hanc legationem ut inutilem dissuadet, se ipsum vero ad eam obeundam idoneum non esse demonstrat. tum consule Pansa ad bellum profecto M. Aemilius Lepidus litteris ad senatum missis eum ad pacem cum Antonio faciendam cohortatus est, quibus recitatis cum multi alii pacem suaderent, Cicero sententiam rogatus orationem Philippicam decimam tertiam habuit, qua secus sentientium rationibus confutatis negavit pacem cum M. Antonio eiusque sociis esse posse. simul epistola ad Lepidum scripta (ad fam. X, 27.) eum, ne se in istam pacificationem interponat, diligenter hortatur. a. d. XVII. Kal. Maias Antonius apud Mutinam ducibus Pansa et Hirtio consulibus proelio superatus est; qua de victoria nuntiis Romam perlatis Cicero prid. Vinalia x. Kal. Mai. habuit orationem Philippicam decimam quartam, in qua trium imperatorum Pansae et Hirtii et Caesaris Octaviani nomine supplicationem quinquaginta dierum decrevit, Antonium quique cum eo essent hostes iudicandos, milites, qui pro re p. interierint, monumento quam amplissimo cohonestandos, quaeque iis praemia senatus decreverat, ea parentibus, liberis, coniugibus, fratribus eorum persolvenda censuit. de victoria Mutinensi cf. ad fam. X, 30. XII, 10.

De libris suis Cicero ipse ita disseruit: 'quaerenti mihi multumque et diu cogitanti, quanam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere

rei p., nulla maior occurrebat quam si optimarum artium vias traderem meis civibus; quod conpluribus iam libris me arbitror consecutum: nam et cohortati sumus ut maxime potuimus ad philosophiae studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius, et quod genus philosophandi minime adrogans maximeque et constans et elegans arbitraremur, quattuor Academicis libris ostendimus; cumque fundamentum esset philosophiae positum in finibus bonorum et malorum, perpurgatus est is locus a nobis quinque libris, ut quid a quoque et quid contra quemque philosophum diceretur intellegi posset. totidem subsecuti libri Tusculanarum disputationum res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt. quibus editis tres libri perfecti sunt de natura deorum, in quibus omnis eius loci quaestio continetur; quae ut plane esset cumulateque perfecta, de divinatione ingressi sumus his (duobus) libris scribere, quibus, ut est in animo, de fato si adiunxerimus, erit abunde satis factum toti huic quaestioni. atque his libris adnumerandi sunt sex de re publica, quos tum scripsimus, cum gubernacula rei p. tenebamus: magnus locus philosophiaeque proprius, a Platone, Aristotele, Theophrasto totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime. nam quid ego de Consolatione dicam? quae mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur, ceteris item multum illam profuturam puto. interiectus est etiam nuper liber is, quem ad nostrum Atticum de senectute misimus; inprimisque, quoniam philosophia vir bonus efficitur et fortis, Cato noster in horum librorum numero ponendus est. cumque Aristoteles itemque Theophrastus cum philosophia dicendi etiam praecepta coniunxerint, nostri quoque oratorii libri in eundem librorum numerum referendi videntur: ita tres erunt de oratore, quartus Brutus, quintus Orator, de divin. II, 1 sqq. Hortensius. v. frgm. p. 56. Academica. v. prooemium nostrum vol. VI. p. 1 sq., ubi in extremo versu pro 'Tusc. II, 54.' scribendum est 'Tusc. II, 4.' de finibus. v. prooemium vol. VI. p. 83. cf. Tusc. V, 32. Tusculanae disputationes. v. vol. VI. p. 243. ubi (v. 16.) scribendum est 'de fato §. 4.' pro 'de fato §. 7.' de natura deorum. cf. de divin. I, 7. 8. de re publica. v. vol. VIII. p. 145—147. de legg. III, 12. Consolatio. v. frgm. p. 71 sqq. de senectute. cf. de off. I, 151. Cato. v. frgm. p. 67 sqq. de oratore. v. ad fam. I, 9, 23. VII, 32, 2. Orator. v. Or. 35. ad fam. VI, 7, 4. 18, 4. XV, 20, 1. Topica. v. ad fam. VII, 19, 1. de optimo genere dicendi. v. ad fam. XII, 17, 2. de amicitia s. Laelius. v. de off. II, 31. de gloria. v. frgm. p. 69 sq. Consulatus s. de temporibus suis. v. frgm. p. 131 sqq. orationes suas ipse Cicero his fere locis commemorat: pro Sex. Roscio, Or. 107 sq. in Verrem, Or. 103. 129. pro Caecina, Or. 102. de imperio Cn. Pompeii, Or. 102. pro Cluentio Habito, Brut. 271. Or. 103. 108. pro Rabirio, Or. 102. in Pisonem, pro Plancio, pro Scauro, ad Q. fr. III, 1, 11. pro Marcello, ad fam. IV, 4, 4. pro Deiotaro, ad fam. IX, 12, 2. pro Cornelio, Brut. 271. Or. 103. 108. 232. de rege Alexandrino, ad fam. I, 2, 1. pro Titinia, Brut. 217. Or. 129. Serrani Domestici filii funus perluctuosum fuit a. d. VIII. Kal. Dec. (a. u. 700.) laudavit pater scripto meo, ad Q. fr. III, 8, 5.

Ad res domesticas quod attinet, Cicero emit domum in Palatio de Crasso; propterea multum habet aeris alieni, bonum tamen nomen existimatur, ad fam. V, 6, 2. cf. post red. in sen. 18. de domo 62. Tusculani et Pompeiani exornatio eum aere alieno adficit, ad Att. II, 1, 11. tribus locis aedificat et paulo liberalius vivit, ad Q. fr. II, 4 [6],

ADDENDA.

Ad fragmenta epistolarum p. 48, XV. adde: 'requietem' Cicero dixit etiam de finn. V, 54.

Ad varios versiculos Graecos a Cicerone in Latinum conversos (p. 95 sq.) adde:

9. est quidam Graecus volgaris in hanc sententiam versus:

bene qui coniciet, vatem hunc perhibebo optumum.

Cicero de divin. II, 12.

Ad Aratea p. 96. IV, 7. adde: cf. Acad. II, 66.

Ad fragmenta varii argumenti (p. 144.) adde:

67. duo sunt autem, ut diximus, axes, quibus caelum volvitur: boreus, quem nos aquilonium vocamus — hic arctoe sunt, id est septentriones, qui nobis semper apparent —, cui contrarius est notius, qui australis dicitur; hic est qui terra, ut ait Cicero, tegitur et *ἀφανής* a Graecis nominatur. Isidorus Hispal. de natura rerum 12, 6. cf. Cic. Tusc. disp. I, 68.

Ad singulas voces p. 146, 32. adde: contra 'inberbem' et 'inberbis' Cicero dixit de deor. nat. I, 83. III, 83.

Ad indicem nominum suo loco adde:

Q. Acutius (al. Curtius), bonus et eruditus adulescens, a. u. 700. Memmium candidatum consularem de ambitu postulavit, ad Q. fr. III, 2, 3.

Appenninus (mons), ad fam. XI, 10, 3. 13, 2.

Aurelius adiect. cf. Forum Aurelium.

Balbus, cognomen etiam Herenniorum.

Brutus, Accii tragoedia, ad Att. XVI, 5, 1.

Calatini, Acidini, Luscini, de l. agr. II, 64. Camilli, Curii, Fabricii, Calatini, Scipiones, Marcelli, Maximi, in Pison. 58.

Camilli. imitemur nostros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Aemilios, p. Sestio 143. Camilli, Fabricii, Curii, p. Caelio 39.

Castor et Pollux. cf. Tyndaridae.

Chilius. v. Thyillus.

Chrysippus, libertus Ciceronis. Loci adlati ad Att. XIII, 29, 2. XIV, 9, 1. pertinent ad Vettium Chrysippum.

Crassi (M. et P.), M. Licinii consulis a. u. 684. et 699. filii, ad fam. V, 8, 4.

Q. Gallius praetor (a. u. 689.) exercuit iudicium de C. Cornelio, frgm. p. 9. epistolae M. Ciceronis ad Q. Gallium, ad fam. XIII, 43. 44.

Gallograecus Brogitarus, de har. resp. 27.

L. Licinius Crassus, orator clarissimus. (p. 348.) L. Crassi tacitus tribunatus (a. u. 647.), Brut. 160.

Marcius Sotericus. v. Sotericus Marcius.

Pelops Byzantius. cf. frgm. p. 49 sq.

Reatini, p. Scauro 27.

INDEX LIBRORUM TULLIANORUM.